



ANTHOLOGIA

VETERUM LATINORUM

EPIGRAMMATUM ET POEMATUM.

EDITIONEM BURMANNIANAM

DIGESSIT ET AUXIT

HENRICUS MEYERUS

TURICENSIS.

TOMUS I.

LIPSIAE,

APUD GERHARDUM FLEISCHERUM 1835.

IN COMMISSIS APUD AD. FROHBERGER.

Anthologia latina primam a Scaligero originem duxit. Postea Pithoeus Catalecta auctiora edidit. At Burmannus, cui Heinsii copiae praesto erant, Anthologiam latinam perfecisse videtur, ita ut futurus editor non tam numerum epigrammatum augere (etsi hoc quoque ei curae erit), quam summam eorum in meliorem redigere ordinem, et ea, quae antiquitatis speciem falso prae se ferunt, expellere debeat. Ac sicuti litterarum Romanarum historia nondum tam exculta et elaborata est, ut de singulis scriptis omnibus facile iudicari possit, quem habeant auctorem, quove sint composita seculo, ita maxime in hac re claudicat Anthologia latina, in qua vetusta novis, falsa veris intermixta leguntur. Conabor igitur demonstrare, ex quibus partibus ea sit constructa, qui auctores epigrammatum, quibus temporibus vixerint, postremo quae vera vel supposita sint.

Anthologia latina tripartita est, quia partim e codicibus manu scriptis, partim ex ceteris litterarum Romanarum auctoribus, partim ex inscriptionibus est conflata.

Quamvis multos Romanorum epigrammata scripsisse sciamus, nullus tamen eorum praeter Martialem et Ausonium aetatem tulit, nec Latinis epigrammatariis idem contigit, quod Graecis, ut diversorum auctorum epigrammata in unum corpus colligerentur, unde Anthologiam graecam etiamnunc pulcherrimis floribus abundare constat. Supersunt tantum Catalecta Virgilii, Catalecta Priapeia, Catalecta Petronii: quae quidem haud contemnendam

Anthologiae latinae partem conficiunt. Tum Burmannus ex diversis codicibus Ovidii, Lucani, Claudiani, Senecae, Martialis, quibus epigrammatum farrago casu addita erat, multa collegit. Quorum alia vetusta atque pulcherrima, alia vero pessima. Unus denique codex omnium maxime commemoratione dignus est, qui plus trecenta poemata continet. Is a Salmasio Salmasianus appellatur, pluresque alii ex eodem fluxere, ut Divionensis, duo Thuanei, Gudianus, de quo a Lessingio in operibus T. XIII. p. 350 ample disputatum est. Horum epigrammatum multa pulchra, plurima vero mediocria sunt, nec secundum post Christum natum seculum excedere videntur, sed quinto vel inferioribus etiam seculis maximam partem sunt referenda. Ego cum viderem, ipsa haec epigrammata, quae ex codicibus illis, quos supra nominavi, venerunt, maxime corrupta esse, atque collationibus Burmanni diffiderem, adii virum optimum Julium Silligium, professorem Dresdensem, quem his copiis eximie instructum esse audiveram, ab eoque paulo post accepi

lectiones 4 codd. Parisinorum, 8236. 8206. 8232. 8205.
3 codd. Guelferbytanorum 703. 704. 705.
Aldinae 1517.
codicis Lindenbrogii (v. Lessingii Opp. T. I. p. 268.)
} in Priapeia

codicis Rehdigerani in Priapeium 83.
codicis Guelferbytani in Antholog. II. 237. 239. III. 177. IV. 92.
codicis Parisini 7927. Dirae. Est et Non. Vir bonus. Rosae. Carmen Octaviani.
cod. Parisini 7936. Est et Non. Vir bonus. Rosae. Carmen Octaviani.
codd. Thuaneorum 8069. 8071 in multa Anthologiae carmina.
codicis Salmasiani.

Adnotavit vero vir doctissimus, pauca tantum huius codicis epigrammata denuo se contulisse, cum

vitiis scateat, atque Burmannus omnes fere lectiones iam excerpserit.

Nec praetereundum est, J. C. Orellium V. C. duos mihi Codices Turicenses tradidisse, qui inter cetera poemata epigrammata aliquot Anthologiae nostrae continebant. His omnibus rebus instructus in constituenda lectione hic illic melius versari poteram, praesertim cum *Addenda* amborum voluminum Burmanni, quae a Wernsdorfio in poetis latinis minoribus (quos, ut obiter moneam, non ex editione Helmstadiensi, sed Parisiensi, quae a. 1824 octo voluminibus prodiit, citare soleo) neglecta mirabar, locupletissimum novae editionis fundum esse intelligerem. Atque hanc Anthologiae partem iis epigrammatis auxi, quae ex codice Gothano Duebnerus in Jahnii Annalibus 1828. VIII. 3. pag. 310. et Ang. Maius in Tomo III. Classicorum Auctorum e Vaticanis codd. editorum 1831. p. 359 in lucem emisit.

Altera Anthologiae pars ex auctoribus litterarum Romanarum excerpta est. Multa enim epigrammata ab historicis, oratoribus, epistolographis, grammaticis, rhetoribus passim afferuntur. Haec omnia bona et acumine plena, et elogia aut ludibria consulum, imperatorum, denique omnium, qui in republica bona aut mala sunt usi fama, continent. Versus ludicri, quorum magnam partem refert Suetonius, praestantissimi sunt atque hoc in poeseos genere Romanos excelluisse indicant. Cum igitur viderem, alia etiam ab auctoribus epigrammata citari, quae a Burmanno praetermittebantur, haec quoque recipienda esse duxi.

Tertia Anthologiae pars ex inscriptionibus nata est. Constat enim, plus quadringenta carmina sepulcralia ex lapidibus descripsisse editores. Quorum alia humanitatis plena, gratia et decore sunt insignia, quibusque nihil ad absolutionem perfectionemque deesse iudico, qualia sunt ep. 1274. 1276. 1281. 1282. 1269. 1243. 1297. 1302. 1311. 1246. 1315. 1331. 1249. 1344. 1349. 1359. 1376. 1402. 1407. 1414. 1418. 1527: maiorem vero eorum partem ne me-

diocria quidem esse fateor. Id carminum genus difficillimum esse puto nec comparandum cum ceteris poetis Romanorum. Inscriptiones enim novum litterarum Romanarum genus faciunt, quod a dictione bonorum auctorum multum distat. Quamquam negari non potest, inscriptiones publicas privatis multo esse praestantiores. Harum enim sermo plerumque rudis est et imperitorum hominum similis, oratio impolita, et carmina, quae in iis leguntur, Horatianis aut Virgilianis multo sunt inferiora. Ne vero quis hoc iudicium meum miretur, meminerit, paucas tantum inscriptiones metricas superesse, quae ad priora reipublicae tempora pertineant, sed maximam earum partem ad infima rerum Romanarum secula reiiciendam esse. Quo autem singulae sint insculptae seculo, in paucis accurate definiri potest, nec aliud quidquam explorare possumus, quam paucis exceptis, quae tempora Scipionum atque Mummii Achaici attingunt, inde a Tiberii aetate usque ad ultima aevi medii tempora collocandas esse. Atque non modo a doctis hominibus, sed a quovis malo poeta sepulcralia fingebantur carmina, et dolendum est, illorum pleraque iam dudum interiisse, magnum autem malorum carminum numerum aetatem tulisse. Atque adeo difficultas, quam iis inesse initio dixi, ex eo plerumque oritur, quod auctores, ut rustici, nec aperte nec clare nec breviter dicere poterant. Versibus autem saepe ars ac venustas deest, imo vitiis abundant numeri. Cuius rei testes sunt epigrammata 1177. 1345. 1502. 1367. 1362. 1591. et in multis aliis synaloephen neglectam, breves syllabas arsi thesique productas deprehendas. Haec facile augeri poterant poemata, cum inde a Burmanni temporibus multae novae per totum imperii Romani orbem inscriptiones detectae essent: nec paucas earum recepi, pluresque etiam inseruissem, si Bonadae collectio, quae ceteris accuratior est, praesto fuisset. Quamvis enim non raro Bonadam citem, id non ex ipsius libro, sed ex Collectione Pisaurensi facere soleo. Verum delectum quendam adhibendum esse arbitra-

bar. Omisi enim pessimas, in quibus sententia absurda, verba barbara, numeri innumeri erant, quas omnino haud ornamentum, verum dedecus latinae poeseos esse apparebat. Item eas exclusi, in quibus non laetam veterum superstitionem, sed Christianae religionis severitatem vigere sentiebam. Nec voluntas tamen mihi defuit, Anthologiae sacrae appendicem adiiciendi, verum, ne nimius foret liber, verebar. Sed sic quoque aliquot Christiana poemata insunt, quae etsi invitus ceteris immiscuit Burmannus.

Quicumque de Anthologia latina recte iudicare volet, nec bona totam nec mala habere carmina sentiet, sed potius bonis mala intermixta esse, imo plurima ei inesse, quae litterarum Romanarum deliciae vere appellari possint, nec pauca continere, quibus in ceteris poetis nihil fere simile inveniatur, qualia sunt fragmenta Varronis, Laberii, Publii Syri. Deinde eximia inter Virgilii Catalecta extare carmina, ut illud *Sabinus ille quem videtis hospites* et *Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae* et plura alia, nemo facile ibit infitias. Atque cum dico, suspicienda esse carmina Priapeia, nemo hoc mirabitur iudicium, qui venustatem artemque eorum intellexerit, etsi ego quoque plerumque dolebam, auctores tantam in sordidissimo argumento expoliendo consumsisse operam. Poemata porro Petronii eo pluris aestimanda esse duco, quia id poeseos genus ab antiqua Romanorum poesi prorsus abhorret, eique, quod nostris temporibus invaluit, simillimum est. Post Petronium nullus fere poeta excelluit, sed nihilominus ii, qui litteras Romanorum in ultimis quoque temporibus perscrutari amant, seriorum aliquot haud contemnendos esse putabunt. Nam Solinus, Pentadius, Alcimus, Ablavius legi merentur. Ac Vandalici poetae, ut Luxorius, Flavius Felix, Florentinus, propter res et mores, qui in eorum poematis describuntur, cognitione maxime sunt digni. Omnino Anthologia haec remotissima secula coniungit, quippe tam antiquissimorum poetarum quam medii aevi carmina hic leguntur. Nam epigrammata in Scipiones

Saturnia, quae primo operi inserui, vetustissimum Romanarum esse constat litterarum monumentum, quibus Ennii, Naevii, Pacuvii, Plauti epigrammata proxime accedunt. Novissima autem poemata, quae in Anthologia leguntur, in seculum duodecimum referenda sunt, ita ut recentiorum Italorum carminibus similiora sint quam antiquo poeseos generi. Inde apparet, totum Anthologia poeseos latinae ambitum contineri. Deinde argumentum epigrammatum multiplex ac varium esse, sponte intelligitur, nec homines ipsos magis inter se differre puto. Ac facile erat, haec poemata in certa dividere capita, praesertim cum id in Anthologia graeca sit factum. Insunt enim pariter erotica, anathematica, epitymbia, epideictica, protreptica, sympotica, scoptica, aenigmata, oracula. Burmannus autem alia usus est partitione, totumque Anthologiae corpus in quatuor classes distribuit, quarum prima de diis, secunda de hominibus, tertia de rebus est, et postrema sepulcralia complectitur. Quamvis vero haec divisio ratione careat, in ea tamen re Burmanni consilium immutare non placuit, cum neque hac neque illa via multum proficiatur. Unam tantum epideicticorum speciem, quae ad statuas picturasve pertinent, hic enumerare volo, quia cognitione eorum, qui hanc Archaeologiae partem tractare solent, digna sunt, et adhuc prorsus neglecta iacent. Ep. 324. 325. 330. 336. 345. 346. 362. 363. 374. 378. 381. 539. 562. 571. 586. 587. 589. 611. 621. 627. 630. 631. 665. 681.

Venio ad auctores epigrammatum. Hi accurata cognitione examinari debent, quia multi, qui vulgo feruntur, suspecti vel ficti esse videntur. Index enim eorum, quem editioni suae Pithoeus praeposuit, tum Saxius in praefatione Onomastici p. XXVII et Fr. Passovius in dissertatione de Anthologia latina (Encyclopaedie v. Ersch. Philologie s. v. Anthologia latina) ediderunt, multis nominibus peccat. Quam sit autem difficile cavere, ne in errores incidamus, ipse quoque expertus sum, cum ea, quae

de hac re nuper in Jahnii Annalibus (Neue Jahrbücher 1833. II. Supplem. II. Heft. pag. 177—195.) disputavi, iam nunc nonnihil emendari deberent. Cum vero Burmannus Anthologiam non ita digessisset, ut antiquissima ceteris praecederent poemata, et reliqua certo annorum ordine recenserentur, non dubitavi, quin facturus operae pretium essem, si ea, quae quando sint conscripta constat, secundum seculorum seriem collocarem. Igitur in iis, quorum auctores explorare contigit, hoc periculum feci. In eo enim maximum Anthologiae pretium positum esse arbitratus sum, quod totam poeseos latinae historiam inde ab ortu huius artis ad interitum usque percurrere liceret. Deprehendes enim dictionem antiquam numerorumque ruditatem in epigrammatis Saturniis aliisque, quae ab Ennii temporibus proxime absunt; tum elegantia carminum M. Terentii Varronis, Laberii, Publii Syri, Iulii Caesaris, Matii, Virgilii, P. Terentii Varronis Atacini, Domitii Marsi, Bibaculi, Helvii Cinnae, Alphii Aviti, Septimii Sereni delectaberis, at mutatum poeseos genus in Petronio et Appuleio agnosces, et in reliquis defectum ingenii interitumque artis dolebis.

1. *Naevius.* ep. 12. editionis meae. In Anthologia Burmanni II. 219. Hic ab anno urbis 500 ad 550 vixisse videtur. Optimum est epigramma omnium, quae Saturnio numero composita sunt: cetera enim, ut ex epitaphiis Scipionum apparet, rudi stilo et dura oratione insignia.
2. *Ennius.* ep. 15—22. Anth. I. 1. II. 39. 42. 44. 45. 216. 217. III. 135. Ennius natus a. u. 515, diem obiit a. 585. Haec carmina partim metro Saturnio (ep. 22. Anth. II. 42., ut ex versu secundo colligendum puto), partim heroico, partim elegiaco constant. Tria tantum vere epigrammata appellari possunt, ceteri versus sunt maiorum carminum fragmenta. Hedypathetica vel Hedyphagetica Ennii alio nomine a Leutschio Hedypathia appellantur. (Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1834. Februar. N. 21. pag. 171.)

3. *Plautus.* ep. 23. Anth. II. 214. **Plautus mortuus** est a. u. 570. Assentior facile Gellio dicenti: *Dubitassemus an Plauti foret* (hoc epigramma), *nisi a M. Varrone positum fuisset in libro de poetis primo.*
4. *Pacuvius.* ep. 24. Anth. II. 218. Natus est anno circiter 533 et diem obiit nonaginta annos natus. Carmen sepulcrale versu senario factum, quod epitaphiorum Scipionum ruditatem refert.
5. *Porcius Licinius.* ep. 25. 26. Anth. II. 215. III. 246. Is inter aetatem Valerii Aeditui atque Q. Lutatii Catuli vixisse videtur. (conf. Gellius XIX. 9.) Ep. 25, quod trochaicis tetrametris catalecticis constat, initium est *Artis poeticae Porcii,* (Gellius XVII. 21.) cuius non hoc solum fragmentum reperitur, sed alia maiora a Suetonio afferuntur in vita Terentii, quaeque itidem in Anthologiam recipienda erant. Alterum elegiacum poeticum spiritum et sermonem cultissimum indicat.
6. *Valerius Aedituus.* ep. 27. 28. Anth. III. 242. 243. Carmina elegiaca, in quibus studium et imitatio graecorum poetarum perspicitur. Porcius Licinius, Valerius Aedituus et Quintus Catulus iam tunc Graecam Musam Latine loqui coegerunt.
7. *Lucilius.* ep. 29. 30. 31. Anth. III. 108. 136. IV. 355. Natus est a. u. 606. obiit a. 652. Duo priora fragmenta ethici generis, versu heroico scripta, tertium elegiacum. Carmina eius magnum et versatile ingenium indicant, at sermo rudior quam eorum, quos modo memoravi.
8. *Valerius Soranus.* ep. 32. Anth. I. 4. Sic huius poetae nomen scriptum invenimus apud Augustinum de civitate dei VII. 9, ubi legitur: *In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerii Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsum ab istis de cultu deorum scripsit: qui versus hi sunt Iuppiter* etc. Ex hoc loco elucet, Valerium Soranum aut ante Varronem

vixisse aut certe aequalem eius fuisse. Diverso deinde modo idem poeta appellatur in Mythographo tertio, quem primum A. Maius ac postea Bode edidit: illic enim pag. 152 legimus: *Dicitur iuxta illos versus Valerii Serrani Iuppiter* etc. Varro eundem poetam iterum in libro de lingua latina septimo pag. 318 ed. Speng. citat: *Apud Valerium Soranum Vetus adagio est, P. Scipio. Quod verbum usque eo evanuit, ut Graecum pro eo positum magis sit apertum; nam idem, quod παροιμίαν vocant Graeci.* Quo ex loco fit verisimile, Valerium Soranum non eadem aetate, qua Varronem, vixisse, sed multo ante eum, et Scipionis quidem Africani temporibus. Sed Cicero hanc vagam de aetate Valerii disputationem ad verum reducit, indicans, eum temporibus Crassi et Antonii vixisse. Hic locus in libro de oratore tertio cap. XI. §. 43. extat. Q. Valerius non Romae erat natus, sed Sorae, Latinorum oppido, unde Sorani cognomentum habuit, et filii eius vel nepotes a Cicerone in Bruto c. 46 laudantur. Ac varios scripsisse eum libros apparet. Fragmentum enim illud, quod apud Varronem de lingua latina legitur, ad alium pertinet, quam versus de Iove. Hos enim ex libris, quos epoptidon inscripsit, referente Plinio in praefatione Historiae naturalis, sumtos esse credo. Inscriptio enim horum librorum indicat, arcana quaedam sive mysteria in iis tractari, unde fabula de repentina Valerii morte orta esse videtur, cuius rei mentionem fecerunt Plinius H. N. III. 5. sect. 9. §. 65. et Plutarchus in Quaest. Romanis 61. Quicumque id consideraverit, Valerium Soranum non confundet cum altero Serrano poeta, qui ab Iuvenali una cum Lucano et Saleio aequalibus citatur in satira 7, 80, et a Quintiliano lib. X. 1, 89, si Sarpii in Quaestt. philol. p. 11 et Langii in Vindiciis Trag. Rom. p. 92 probabilis est coniectura. Is igitur Serranus temporibus Neronis vixit, ac miror, Fridericum Osannum (F. O. in Hall.

Litt. Zeit. Egbl. Februar 1834. p. 92.) indicasse, hunc non diversum esse ab eo, qui ab Augustino commemoratur. Baehrius in libro suo alterum tantum, Iuvenalis aequalem, tetigit pag. 301, Bernhardyus neutrum.

9. *Manilius.* ep. 33. A. III. 245. Extat apud Varronem, et in margine edit. Scalig. legitur *Manlius.* Si certum sit, Manilium auctorem carminis astronomici Augusti temporibus vixisse, a verisimilitudine non abhorrebit dicere, hoc epigramma eidem Manilio tribui posse, si quidem constat, Varronem usque ad annum 727 vitam prorogasse. Ut enim Matii carmina, qui itidem Augusto demum imperante obiit, a Varrone laudantur, ut infra dicemus, sic Manilius ei innotescere poterat. At alii fortasse coniicere malent, Manilii nomen in alterum Matii commutandum esse, eadem fere ratione, qua in Prisciano Krehlii T. I. p. 329 *Matilius* pro *Matio* perverse legitur. — Senarii lepidissimi, quos C. O. Müllerus in Varrone suo p. 130 ita exhibet: *Cascum duxisse cascam non mirabile est,*
Quoniam Caron eas conficiebat nuptias.

10. *M. Terentius Varro.* ep. 34—51. A. 1. 50. 54. 59. 78. II. 18. 207. 211. III. 9. 71. 72. 83. 100. 107. 147. 148. V. 50. Is natus a. u. 638 mortuus est a. 727, octogesimum nonum vitae annum agens. Et extrema etiam aetate viguit senex: Plinius enim auctore st in H. N. XVIII. 5, octogesimum primum vitae annum agentem libros de cultura agri prodidisse Varronem. Haec carmina partim versu senario, partim versu galliambico, alia versibus heroicis vel hendecasyllabis vel elegiacis vel trochaicis aut denique anapaesticis constant, eaque omnia pulcherrima esse, quivis sponte sentiet. Scaliger quoque ea vehementer adamasse videtur, qui plura etiam ex diversis fragmentis huc illuc citatis in Catalectis suis pag. 251 conglutinavit. Adieci duo nova poemata et in Addendis plura vitia, quae intacta reliqueram, sustuli.

11. *Q. Lutatius Catulus.* ep. 52. 53. A. III. 240. 241. Idem orator praestantissimus et consul a. u. 652. Carmina elegiaca, Graecorum poetarum artem imitantia.
12. *Decimus Laberius.* ep. 54. 55. 56. A. II. 212. III. 101. 102. Natus a. u. 647 mortuus est a. 710. Carmina iambica, quae splendorem et virtutes linguae Romanae summopere ostendunt.
13. *Publius Syrus.* ep. 57. A. III. 132. D. Laberii aequalis. Plinius auctor est in H. N. XXXV, 58, Publium, mimicae scenae conditorem, consobrinum habuisse Manilium Antiochum, astrologiae conditorem. Fragmentum mimorum pulcherrimum, versibus iambicis compositum.
14. *Laevius.* ep. 58. Hoc fragmentum Erotopaegnion, quod iambicis dimetris constat, ex Appuleio T. II. p. 461 recepi. De hoc poeta Weichertius scripsit docuitque, eum fuisse aequalem Ciceronis, Varronis Atacini, Cinnae, Calvi.
15. *Pomponius.* ep. 59. A. III. 244. A Prisciano Pomponius auctor epigrammatis esse fertur, a Varrone vero Papinius. Quod si Pomponius verum est nomen, L. Pomponius Bononiensis Atellanarum scriptor, qui circa a. u. 660 vixit, intelligendus. C. O. Müllerus hos versus ita edidit p. 131. *Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica,*

fili Potoni, sesquisenex puerum.

Dice illam pusam; sic fiet mutua muli;

nam vere pusus tu, tua amica senex.

16. *M. Tullius Cicero.* ep. 60—65. A. I. 106. II. 1. 38. 128. 222. III. 56. Natus a. u. 640 obiit a. 711. Tria epigrammata ex graeco sunt versa; illud in Terentium Afrum eo insigne, quod alterum opposuit Iulius Caesar. Id autem, quod in Caninium Rebilum iambicis versibus scriptum fertur, in nullo codice invenitur, sed a Scaligero factum est. Sero vidi, in Anth. V. 40 (ep. 1028) carmen de signis coelestibus extare nullo auctore nominato, quod totum ex Arateis Ciceronis petitum est, ut suo loco adnotabo. Omnia haec epi-

grammata colore poetico destituta. In poesi enim antiqui sermonis ruditatem Cicero reddit, quamvis in orationibus novum dicendi genus invenisset.

17. *Q. Cicero.* ep. 66. A. V. 41. Carmen astronomicum, in quo poetica certe facultate Marcum fratrem non superavit. Multos vero Romanorum astronomica confecisse poemata constat, quales sunt Q. et M. Cicerones, Germanicus Caesar, Gaetulicus, Titus imperator. Epigramma 245, quod Pentadii est, a quibusdam Q. Ciceroni inscribebatur.

18. *Tullius Laurea.* ep. 67. A. II. 156. Libertus Ciceronis. Eidem tria epigrammata in Anthologia graeca tribuuntur.

19. *C. Iulius Caesar.* 68. 69. 70. A. II. 221. III. 10. IV. 92. Natus a. u. 654 occiditur a. 710. Unum tantum, quod de Terentio Afro adversus Ciceronem scripsit, indubitatum Caesaris est. Ep. 69 ab aliis Germanico Caesari, ab Hommeyo vero parum verisimili coniectura Marbodo inscribitur. Ep. 70 suspectum est. Divi Iulii carmina citat Plinius in H. N. XIX. 41.

20. *Q. Valerius Catullus.* Alii Caium vocant, non Quintum, quos reprehendit Paldamus in libro Die Römische Erotik p. 24. Catullus natus est a. u. 667 et diem obiit a. 707 vel 708, si eidem Paldamo p. 26 credere licet. Huic vulgo sine auctoritate codicum Priapeia 85 et 86 vel ep. 1698 et 1699 tribuuntur, sed Priapeium 87 vel ep. 1700 Catulli esse, Terentianus Maurus testatur.

21. *C. Licinius Calvus.* ep. 71. 72. A. II. 47. 58. Natus est a. u. 672, obiit a. 706. eiusque vitam descripsit Weichertius. Haec carmina in Caesarem atque Pompeium invehuntur.

22. *M. Furius Bibaculus.* ep. 73. 74. 75. A. II. 257. 258. 240. Natus est a. u. 651 eiusque vitam descripsit Weichertius. Hendecasyllabi acerbissimi, quos in Valerium catonem grammaticum fecit.

23. *Valerius Cato.* Huic poetae, qui Catulli aequalis erat, Scaliger Diras vindicavit, quae in codicibus

Virgilio inscribuntur, easque sub Virgilii nomine edidi, non negans tamen Virgilii non esse, etsi de auctore amplius deliberandum censeo. Tum Wernsdorfius carmen rustico numero compositum, quod incipit *Lydia, bella puella,* et in A. III. 219 (ep. 989.) legitur, Valerio Catoni mire tribuebat.

24. *C. Helvius Cinna.* ep. 76. A. II. 251. Calvi aequalis. Extat de hoc viro commentatio Weichertii. Hos versus epigramma non esse, verum maioris carminis fragmentum suspicatus est Leutschius. (Zeitschr. f. d. Alt. Wiss. v. Zimmermann 1834. n. 19. p. 158.)

25. *P. Terentius Varro Atacinus.* ep. 77. 78. A. II. 37. V. 48. 49. Is natus a. u. 672 diem obiit anno circiter 717, ut in egregia commentatione colligit Franciscus Wüllnerus. Chorographiae Varronis fragmenta pluribus versibus auxi et accuratius edidi.

26. *Pupius.* ep. 79. A. II. 213. Is non multum ante Horatium vixit, vel potius eius aequalis est. Langius in Vindiciis trag. Rom. p. 26 adnotavit: non bene tentat secundum versum *in me vivo lacrimavit satis* Obbarius in libro Des Horatius erster Brief des ersten Buches. Rudolphop. 1822. p. 62. scr. *iam vivo.*

27. *Caesar Octavianus Augustus.* ep. 80. A. III. 247. Natus a. u. 691 obiit a. 767. Valerius Martialis Augusti epigramma servavit, quod lascivia et obscenitate Catullianis aut Priapeiis simillimum est. Alterum carmen, ep. 858. A. II. 184 in codicibus Augusto tribuitur, sed inepte. Ii enim versus a scholastico quodam poeta sub nomine Augusti de Aeneide Virgilii compositi sunt, quos imperitia hominum ipsi Augusto postea retulit. Ac simile huiusce rei exemplum in Ovidio et Cornelio Gallo infra videbimus.

28. *C. Cilnius Maecenas.* ep. 81—84. A. I. 53. II. 224. 225. III. 149. Hic decessit a. u. 746. Carmina vel numero galliambico, partim hendecasyllabis, partim versibus Priapeiis constant, maxime-

que sunt tersa ac mollia, et Hadriani carminibus simillima.

29. *R. Virgilius Maro.* ep. 85—111. A. I. 63. II. 65. 68. 69. 242. 243. III. 142. 248. 249. 250. 268. 270. II. 198. III. 143. II. 123. 124. 130. 244. 245. 246. 122. 119. 120. V. 141. Dirae extant A. Tom. II. p. 649. Natus a. u. 684 diem obiit a. 735. Haec carmina vel numero heroico vel elegiaco vel variis iamborum generibus constant, iisque multa falsa intermixta leguntur, quae tamen facile agnoscas, cum ea, quae sunt Virgilii, nativo quodam decore sint praedita. Ea enim, quae ab ipso Virgilio originem habere videntur, haec sunt: Ep. 85 in Venerem, carmen magna arte insigne; ep. 86 in Octavium historicum; ep. 89 in C. Annium Cimbrum, quod iucundissimum est, at obscuritate laborat; ep. 90 de mutata studiorum ratione; ep. 92 ad Varium; ep. 93 ad villam Syronis; ep. 94 ad Tuccam; ep. 100 cui sit inscribendum, ignoramus. Alii alium coniecere, sed frustra. Amicus quidam in Iugurtham dictum esse monuit. Ep. 101 ad Antonium Musam; ep. 102 in Sabinum sive Ventidium Bassum, qui ex mulione factus est consul. Parodia Catulliani carminis quarti, omnibus numeris absoluta, et eo magis conspicua, quod pauca tantum huius generis carmina in Horatio, in Priapeiis, in Petronio exstant. Ep. 103 in Noctuinum; ep. 104 in eundem; ep. 105 in Lucium, carmen acerbissimum; ep. 107. Copa. Hoc poema venustate et propria quadam arte tam insigne, ut Virgilio sit maxime dignum. Deinde pleraque carmina Priapeia Virgilio vindicanda esse existimo, tum quia in omnibus codicibus huic inscribuntur, tum quia Virgilianam proprietatem referunt. Cetera autem carmina, quae Virgilio tribui solent, eius non esse arbitror. Ea vero haec sunt: ep. 108. Dirarum liber. Obscurissimum hoc poema intactum reliqui, cum quotidie sperassem, Naekii viri sagacissimi editionem prodituram esse. Ep. 87 in Augustum; ep. 88 in Bathyl-

lum poetam. Andhelmus quoque grammaticus, quem A. Maius in tomo quinto classicorum e codd. Vat. erutorum 1833 edidit, hunc errorem commisit, quod Virgilio tribuit. Dicit enim p. 576: *Vergilius in tetrasticis theatralibus Sic vos non vobis mellificatis apes.* Ep. 91 in calicem Arretinum; ep. 95 in formosum puerum. Idem in aliis codd. Ausonio vel Caesari tribuitur. Ep. 96 in Nisum libertum; ep. 97 in Ballistam. Burmannus id omiserat: sed cum cetera epigrammata, quae apud Donatum leguntur, recepisset, id quoque assumendum esse duxi. Ep. 98 et 99; ep. 106 elegia ad M. Valerium Messalam, quae rhetoris alicuius esse videtur; ep. 109 elegia in obitum Maecenatis, quam Pedoni Albinovano tribuit Scaliger: at Pedo si huius carminis auctor esset, non magnam inter poetas elegiacos meritus esset famam. Atque in eo carmine Pedonis, quod infra dabimus, versus sunt multo meliores, oratio melius structa. Ep. 110 de Maecenate moribundo. Poetae scholastici esse puto. Ep. 111. De viro bono. Carmen aevi medii. Praeterea haud maiore iure in aliquot codicibus Virgilio inscribitur Bedae cuculus, ep. 591; et idyllium de rosa, quod A. III. 292. ep. 1023. legitur; porro carmen de littera Y Pythagoricum, ep. 1076. A. V. 140; tum epitaphium Lotharii imperatoris, ep. 828. in ms. Colbertino 6630. Virgilio inscribitur, nec aliter epigramma Vitalis de libidine et vino, ep. 535. in ms. Stuttgardiano.

30. *C. Cassius Parmensis.* ep. 112. A. I. 135. Sed Orpheus Cassii Parmensis antiquitatis speciem mentitur et Antonius Thylesius auctor eius est. Weichertii de vita Cassii Parmensis commentatio prima prodiit a. 1832. Utinam vir doctissimus, qui antiquarum litterarum secreta atque recondita multis adhuc partibus aperuit et illustravit, alteram contexere commentationem ne cunctetur.

31. *Gaetulicus.* ep. 113. Fragmentum huius poetae,

ut in memoriam reduceretur, recepi. Extant eiusdem viri in Anthologia graeca epigrammata.

32. *Horatius.* ep. 114. 115. Adieci duas odas, quae ferebantur esse Horatii, sed insipidum auctorem indicant.

33. *Aemilius Macer.* ep. 116. Huius quoque poetae fragmentum arcessivi.

34. *Caesar Germanicus.* ep. 117. A. II. 103. Decessit a. u. 772. Idem epigramma graecum Germanico in Anthologia Palatina lib. IX. p. 158 tribuitur; nec facile decernas, utrum graecum e latino sermone, an latinum e graeco translatum sit, cum utrumque probabile esse possit. Multa enim carmina in Anthologia graeca leguntur, quae ex poetis latinis conversa sunt. Alii vero utrumque ad Hadrianum Caesarem retulere, alii latinum ab Italo quodum fictum putant. Ep. 69 ab aliis Iulio Caesari, ab Hommeyo Marbodo inscribitur. Alterum carmen Germanici, quod Anth. V. 51 legitur, cum ab Orellio una cum ceteris Arateorum reliquiis optime sit editum, omisi. Germanicum multa reliquisse carmina, veteres tradiderunt. Quorum unum Plinius quoque in H. N. VIII. 42. commemoravit.

35. *Asinius Gallus.* ep. 118. A. II. 241. Is Asinii Pollionis oratoris filius a. u. 746 consul fuit. Conf. Falsteri Memoriae p. 22. In Anthologia graeca duo epigrammata Gallo cuidam inscribuntur, quem Aelium Gallum vel Cornelium Gallum esse vult Iacobsius, at fortasse Asinio Gallo pari iure tribuantur.

36. *C. Abronius Silo.* ep. 119. A. I. 104. Epici carminis fragmentum.

37. *Albius Tibullus.* Huius est Priapeium 82 et 83 vel ep. 1695. 1696. Id enim quod secundo loco dixi, cum a ms. Cuiacii tum a viris doctis et nuper a Paldamo p. 85 Tibullo tribuitur, qui praeterea eum a. u. 700 natum, obiisse vero circiter a. 735 docet.

38. *Matius.* ep. 120. A. III. 189. Nemo adhuc ante Leutschium Matii vitam et scripta exploravit. Is enim demonstrat (Zeitschr. f. d. Alterthwiss. v. Zimmermann 1834. n. 20. p. 163) Matio praenomen Caii fuisse, nec plures Matios scriptores extitisse, sed unum eundemque esse, qui a Varrone de lingua latina p. 95. 96. 161 ed. Mülleri, a Cicerone in epistolis mutuis, a Plinio H. nat. XII. c. 2. §. 6, a Quintiliano III. 1, 18 et a Columella XII. 4, affertur. Atque eodem auctore natus est anno circiter 670, et ultra annum 730 vitam prorogavit. Mimiamborum fragmenta pulcherrima sunt et conferri merentur cum carminibus D. Laberii, M. Terentii Varronis, Publii Syri, qui omnes ile p oeseos habent genus.

39. *Ovidius Naso.* Is natus a. u. 711 obiit a. 770. Unum carmen ipsius Ovidii est, Priapeium tertium vel ep. 1618; reliqua, quae in codicibus ei inscribuntur, nemo non insanus ei tribuere potest. Ep. 833 vel A. II. 172 poetam Christianum potius quam Ovidium refert. A. II. 188. 189. 190. 191. 192. 193 sive ep. 859. 836. 552. 860. 862. 863, quae cuncta Bucolicorum, Georgicorum, Aeneidos Virgilii continent argumenta, in codicibus quidem plerumque Ovidio vindicantur, quibus adstipulabatur Goldastus in Ovidii Nasonis eroticis et amatoriis opusculis Francofurti 1610. p. 11. 59., verum a scholasticis poetis profecta sunt. Cur autem Ovidio inscriberentur, ex eo certe, quod A. II. 192. (ep. 862.) legitur, intelligi potest: ibi enim Ovidius loquens inducitur, unde carmen nomine Ovidii inscribendum erat, at imperitior aetas ipsi Ovidio tribuit. Praeterea in aliquot codicibus ep. 391, Bedae cuculus, et ep. 1026. A. V, 14 eidem tribuitur.

40. *Cornelius Gallus.* Is natus a. u. 688 semet ipse interfecit a. 728. Nihil omnino est, quod huic poetae merito tribuatur. Illud enim, quod A. II. 176. ep. 869 de morte Virgilii legitur, a poeta scholastico sub nomine Corn. Galli fingebatur, qua

re seriores decepti ab ipso Gallo traditum existimavere. Deinde ep. 1565. A. III. 172 de duabus sororibus meretriculis ex Illyrico Gentia et Chloe, quae Romana castra cum matre lena sequebantur, et ep. 1003. A. III. 238 in imaginem puellae, et ep. 989. A. III. 219 *Lydia bella puella* inter Galli fragmenta in Scaligeri opusculis postumis pag. 541, a Pithoeo pag. 422 et Wernsdorfio Poet. lat. T. II. p. 187 excusa sunt. Verum iam Scaliger epigramma, quod primo dixi loco, vetustum non esse docuit, et legentes facile sentiunt, antiquum colorem non habere; alterum imaginem puellae antiquum duco, sed auctor ignotus est; tertium aevo medio originem traxisse, demonstravit Naekius.

41. *Pedo Albinovanus.* ep. 121. A. II. 121. Ovidii aequalis. Is aeque ac Cornelius Severus, qui mox sequitur, Lucanum superasse non videtur. Eidem duae elegiae de Maecenate, quae in codicibus Virgilio inscribuntur, ep. 109. 110. a Scaligero tribuebantur: sed nemo ei hodie facile assentietur.

42. *Domitius Marsus.* ep. 122. 123. A. II. 226. 247. Aequalis Virgilii Horatiique, cuius vitam descripsit Weichertius. Epitaphium Tibulli non pro epigrammate, sed pro fragmento elegiarum Marsi habendum esse censet Scaliger.

43. *Cornelius Severus.* ep. 124. A. II. 155. Ovidii aequalis. Is bellum Siculum descripsit, cuius hoc fragmentum extat, idque demonstrat, auctorem virum meliorem quam poetam fuisse. Conf. Wernsdorfii Poet. T. III. p. 30.

44. *Alphius Avitus.* ep. 125. A. II. 267. Vossius de poetis latinis p. 38 Augusto et Tiberio imperatoribus vixisse eum putat. Conf. Wernsdorf. Poet. lat. T. II. p. 28. Libros Excellentium, quorum reliquiae hic leguntur, iambicis dimetris auctor scripsit. Extant in Anthologia graeca duodecim epigrammata, quae eidem Alphio a Reiskio tributa dicit Iacobsius in catalogo poetarum s. n. Alpheus Mitylenaeus.

45. *Lucilius.* ep. 126. 127. A. III. 150. Is Senecae aequalis. Conf. Wernsdorfii Poet. lat. T. III. p. 18. Alter Lucilius, qui itidem sub Nerone vixit, duos libros epigrammatum graecorum scripserat, ut ex Anthologia graeca constat. Conf. Iacobsii Catal. Poetarum. Ep. 127 iambicum ex epistola Senecae octava petivi.

46. *L. Annaeus Seneca.* ep. 128—139. A. III. 11. 12. 13. 95. 157. 118. 151. 152. II. 249. III. 153. 154. 155. Hic natus a. u. 756 occiditur a. 818. Carmina elegiaca, iambica, hendecasyllabi, quae cuncta multo minorem venustatem et ingenium habent quam reliqua eius scripta. Ep. 132 Burmannus non Senecae, sed Ciceronis esse credidit, quem in adnotatione reprehendi errorem. Sequens ep. 133 deterius est quam ut Senecae tribui possit. Exemi e carminibus, quae vulgo ei inscribuntur, ep. 838. A. II. 228, cum id ab alio in Senecam dictum videatur. Epigrammata de exilio Senecae testantur, hunc philosophum non tranquilliore animo id infortunium tulisse quam Ciceronem atque Ovidium; erat enim, ut ait Plinius XIV. 5., minime utique mirator inanium.

47. *Lucanus.* ep. 839. A. II. 229. Natus a. u. 792 interfectus est u. 818. Non putaram, id ipsius Lucani esse, sed de Lucano a poeta aliquo dictum, antequam viderem, ab Andhelmo grammatico seculi septimi, cuius liber ab A. Maio est editus, ipsi vindicari pag. 529.

48. *Volcatius Sedigitus.* ep. 140. A. II. 223. Plinius auctor est in H. N. XI. 43., Volcatium Sedigitum fuisse illustrem in Poetica. Is poema scripsit de poetis, didascalici generis. Dolendum est, pleraque huiusmodi scripta, quae occasionem darent, accurate et plene de litteris Romanis iudicandi, periisse. Supra Porcii Licinii Artem poeticam tetigimus, quae in simili argumento versata est. Fragmenta Artis poeticae Volcatii tum a Gellio, tum a Suetonio in vita Terentii afferuntur.

49. *Nero.* ep. 141. A. III. 8. Is natus a. u. 790 ad

mortem adigitur a. 821. Si totum carmen Neronis tam pulcros versus habuit, Nero profecto melior poeta quam imperator erat. Alterum Neronis carmen Plinius citat in H. N. XXXVII. 12. Constat autem, cunctos pene imperatores Romanorum versus fecisse, nec pauci inter auctores Anthologiae citantur, ut Augustus, Traianus, Hadrianus, Gallienus.

50. *T. Petronius Afranius Arbiter.* ep. 142—189. A. III. 61. 62. 63. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 54. 55. 126. 127. 128. 129. 134. 137. 138. 139. 140. 141. 158. 225. 226. 254. 255. 257. 256. VI. 90. 91. 93. I. 51. III. 252. 7. 25. 197. 125. 130. 131. 133. 224. 253. I. 90. 99. II. 12. 261. 13. IV. 344. Quando Petronius vixerit, multum dubitatur. Alii ad Neronis aetatem eum retulere, verum sententia Niebuhrii (kleine Schriften p. 337. coll. Bernhardy Röm. Litt. p. 331.), qui Petronium tertio demum seculo Alexandro Severo regnante floruisse putat, eo potior esse videtur, quod eius liber non sermone tantum, sed toto poeseos genere a ceteris, qui usque ad Neronis aevum vixerunt, poetis distat. Sed priusquam de Petronio deque carminibus eius diligentissime et seorsum tractabitur, haec non liquebit quaestio. — Carmina sunt partim heroica, alia elegiaca, alia iambica, alia hendecasyllabi. Hic auctor prae omnibus poetis, qui post Augusti auream aetatem extiterunt, venustate, arte, ingenio eminet, neque ullus alius cum eo conferri potest, eandemque inferioribus temporibus habuisse videtur auctoritatem quam superioribus Virgilius. Conf. Paldami liber Die Römische Erotik p. 85. Idem porro Petronio, quod Virgilio accidit: multa enim aliorum poetarum carmina Catalectis Petronianis inserta sunt, idemque in Virgilianis Catalectis deprehendi supra vidimus. Ea igitur, quae ipsius Petronii esse existimo, haec sunt: ep. 145. 146. 147. 148. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159 160—175. 177. 178. 17 .

180. 181. Potest adiici ep. 983., quod A. III. 213 legitur et Priapeium 81 vel ep. 1694. Sunt alia quaedam, in quibus dubito an Petronii sint: ep. 142. 144. 149. 182. Reliqua vero ei non tribuerim: ep. 184. 185. 186. 187. 188. 143. 176. 183. 189. Quorum quinque epigrammata priora Petronius Antigenis Pisaurensis sibi vindicat. Ep. 176 Luxorii esse veri est simile. Ep. 189 epitaphium Petronii cuiusdam Antigenidis est. Excidit vero e schedis meis epigramma, quod A. I. 44 legitur, quodque in nova editione ep. 1615 a. est.

51. *Turnus.* ep. 190. A. VI. 94. Wernsdorfius in Poetis latinis T. II. p. 50., non codicis auctoritate, sed coniectura fretus, colligit hanc Turno tribuendam esse satiram, qui temporibus Vespasiani, Titi, Domitiani vixit.

52. *A. Septimius Serenus.* ep. 191. 192. A. I. 27. III. 57. Hunc ad Vespasiani aetatem retulit Wernsdorfius in Poetis lat. T. I. p. 606. Sed ea res non minus incerta est quam aetas Terentiani Mauri atque Petronii. Versus choriambici arte praestantes.

53. *Rufus Virginius.* ep. 193. A. II. 55. Hic vir alias non ut poeta clarus, sed in bellis, quae Nerone atque Galba imperatoribus gessit, magnam sibi comparavit gloriam.

54. *C. Plinius Caecilius Secundus.* ep. 194. 195. 196. A. II. 55. 253. 266. Is natus a. u. 815 anno circiter 866 diem obiit. Hi versus nec arte nec ingenio commendabiles.

55. *Sentius Augurinus.* ep. 197. A. II. 254. Plinii aequalis. In his hendecasyllabis Augurinus Plinium tamquam vatem summum veneratur: at si Plinium non superavit, non magnam inter poetas famam acceperit.

56. *Sulpicia.* ep. 198. A. III. 251. Sulpicia Domitiani temporibus vixit. Conf. Wernsdorf. Poet. T. II. p. 52. Paldamus D. Röm. Erotik. p. 81. In scenam Anthologiae latinae duae mulieres prodeunt Sulpicia atque Eucheria, de qua infra dicetur.

57. *M. Valerius Martialis.* ep. 199—204. A. II. 94. III. 16. 17. 18. IV. 245. Novum epigramma ex Lessingii Operibus T. I. p. 221. adieci. Natus a. u. 796 decessit anno circiter 854. Conf. Plinii epist. III. 21. Masson vita Plinii p. 112. Incertum est, an ep. 987. A. III. 217, quod in veteri Lexico sub nomine M. Val. Martialis affertur, huius sit poetae. Martiali enim non semel a scholiastis epigrammata tribuuntur, quae aliorum sunt, cuius rei in ep. 71 habuimus exemplum. Ibi enim Calvi versus a scholiasta Lucani Martiali inscribuntur. Contra in ms. Thuaneo Virgilio tribuitur, quod in Martiale lib. I. 19. legitur. Avieni epigramma, ep. 280, in codice Salmasiano Martiali inscriptum est, itemque inter Martialis poemata lib. IV. 90 extat. Id, quod A. III. 261 ad Flaccum est, quia in Martiale lib. I. 58 extat, delendum censui, at eadem de causa ep 204, quod itidem in Martiale iam editum est, omittendum erat. Ac pene omnia horum epigrammatum in prooemio Martialis sive in libro Spectaculorum vulgo edita sunt. Ep. 558, quod Valeriano inscribitur, ex duobus Valerii Martialis epigrammatis conflatum est, unde recens esse colligo. Aliud epigramma in Pantagathum tonsorem, quod in Martiale lib. VI, 52 legitur, a Duebnero tamquam ineditum traditur (in Annalibus Iahnii 1828. VIII. 3. p. 315.).

58. *Valerius Probus.* ep. 205. Ex Addendis Burmanni T. I. p. 739. Hic falso Valerii Probi grammatici, qui aetate Neronis docuit, personam mentitur, sed longe recentior est, ut Lindemannus in corpore Grammaticorum T. I. p. 39 demonstravit.

59. *Traianus imperator.* Is natus a. u. 808 decessit a. u. 870. Epigramma nullum huius viri extat. Quamvis enim ep. 210 in codice Thuaneo inscribatur *Traiani imperatoris de bello Parthico versus decori*, intelligi non potest, quomodo illud carmen hunc titulum prae se ferat, cum de Amazonibus ibi agatur. Accedit, quod ceteri codices

Hadriano vindicant. Extat vero in Anthologia Palatina lib. XI. 418 graecum distichon Traiani.

60. *Aelius Hadrianus.* Capessit imperium a. u. 870 et decedit a. 891, annum agens 63. Ep. 206—211. A. II. 96. 98. 118. 258. IV. 399. Novum epigramma ex Appuleii apologia T. II. p. 410 recepi; ep. 206. 207. 211. iambicis dimetris constant arteque sunt insignia. Ep. 210 imperatorem grammaticum sapit. Extant in Anthologia graeca epigrammata Hadriani sex.

61. *Florus.* ep. 212—221. A. II. 97. I. 20. III. 114. I. 17. III. 265. 113. 111. 112. 115. 291. Aequalis fuit Hadriani. Carmina partim iambicis dimetris, partim trochaicis tetrametris, partim hexametris constant, cunctaque uni auctori vindicavi, codicis Salmasiani auctoritatem secutus. Burmannus autem ep. 213. 216. 218 Florido inscripsit.

62. *Sulpicius Carthaginiensis.* ep. 222. 223. A. II 174. 194. Argumenta in Virgilii Aeneidem tam levia sunt, ut malus poeta fuisse videatur Sulpicius.

63. *Terentianus Maurus.* ep. 224. A. II. 237. Hi versus, qui in elegantissimo carmine de rhythmis leguntur, delendi erant. Aetas huius poetae adhuc incerta est. Si enim Petronius Alexandro Severo demum imperante vixit, Terentianus quoque, qui Petronii carmina affert, non ante, ut vulgo putatur, carmen composuit.

64. *Appuleius.* ep. 225—230. A. III. 99. 230. 229. 174. 231. Novum adieci ex Apologia eiusdem auctoris, idque nitidissimum. Hic auctor ingeniosus bona epigrammata finxit. Ep. 225 Appuleii non est. Ep. 230 non Appuleii, sed Mureti est teste Scriverio. Bosscha in vita Appuleii T. III. p. 510 auctor est, aetatem eius in Antoninorum, qui ab anno 891 usque ad a. 933 regnum tenuere, aevum incidisse.

65. *Modestinus.* ep. 231. A. I. 31. Fuerat satius, inter auctores ignotos eum recondere, cum non constet, qui sit aut quando vixerit. Modestino itidem argumenta operum Virgilii, A. II. 188, in

aliquot codicibus tribuuntur; verum an idem sit, vehementer dubito. Epigramma enim lepidum et acutum, argumenta vero in Virgilii opera languida.

66. *Gallienus imperator.* Is imperii consors a. u. 1006 factus occiditur a. 1021. Ep. 232. A. III. 258. epithalamium amabile. Quod carminum genus apud Romanos haud infrequens fuit, quippe constat, centum poetarum epithalamia olim extitisse. Conf. Trebellii Pollionis Gallieni Duo c. 11. T. II. p. 213. Wernsdorfius in Poet. lat. T. III. p. 374.

67. *Albus Ovidius Iuventinus.* ep. 233. A. V. 143. Novimus ex codice St. Galli, quem Goldastus contulerat, elegiae auctorem, cuius aetatem Bernhardyus (Röm. Litt. Gesch. p. 135.) eo aperuit, quod Geta imperator quaestiones de vocibus animalium excitare solebat. Spartianus enim in vita Antonini Getae c. 5. T. I. p. 741. dicit: Familiare illi fuit has quaestiones grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, ursi saeviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranae coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, easque de veteribus probare. — Igitur veri simile est, Ovidium Iuventinum aequalem Septimii Antonini Getae, qui a. u. 965 a Caracalla fratre occisus est, fuisse. Duas elegiae recensiones extare, in adnotatione dixi, et satius fuerat, utramque legentibus tradere, quam tertiam ex duabus constituere, quae nullam habet auctoritatem. Id vero fecit Wernsdorfius, quem sequebar, quia tunc Goldasti librum nondum nactus eram.

68. *Solinus.* ep. 234. A. V. 113. Hoc Lucretiani carminis granditatem feliciter imitatur fragmentum, unde Varroni Atacino tribuebat Scriverius. Salmasius scribit, Solinum ducentos fere annos post Plinium vixisse, ita ut aetas eius circa annum millesimum u. c. vel 247 p. Chr. inciderit.

69. *Hosidius Geta.* ep. 235. A. I. 178. Aequalis Tertulliani, qui Septimio Severo et Caracalla impe-

ratoribus, qui ab a. u. 946 ad a. 970 regnum tenebant, vixit. — Cum enim Tertullianus tradidisset, ab Hosidio Geta Medeam fabulam ex versibus Virgilianis compositam esse, non dubitarunt editores, hunc librum ei tribuere, quamquam in codicibus nomen auctoris deesset. Haec enim Medea nihil nisi cento Virgilianus est, at in codicibus tam laceratus, ut multi versus longiores brevioresve sint. Auctores vero centonum e poetarum numero eximendos esse patet, cum verba tantum aucupentur, nec sententiam respiciant.

70. *Publilius Optatianus Porphyrius.* ep. 236—240. A. III. 89. 103. Tria nova adieci. Is Constantino imperante, qui ab a. 1059 ad a. 1090 vel ab a. 306 p. Chr. ad a. 337 regnavit, vixit. Constat enim, Constantini vicennalia a. 326 carmine Panegyrico eum celebrasse. Epigrammata versibus constant anacyclicis, in quibus sententia nulla aut inepta est, verba autem artificioso quodam ordine aliquid dignitatis habent.

71. *Pentadius.* ep. 241—252. A. I. 102. 139. 140. 141. III. 88. I. 142. 148. 165. II. 203. III. 93. 105. V. 69. Pentadius idem esse fertur, cui Lactantius institutionum divinarum epitomen inscripsit. Lactantium trecentos fere annos post Christum vixisse constat. Pentadius haud contemnendus poeta est, etsi interdum arte lusuque verborum compensavit ingenium. Ep. 241 duobus locis in addendis correxi. Excidit praeterea e schedis meis epigramma Pentadii, quod A. I. 98 legitur: quare in appendice ep. 1614 reducendum duxi.

72. *Citerius Sidonius.* ep. 253. A. II. 257. Torremuzza hoc epigramma, verborum lusu insigne, suspectum esse dicit. Citerius Ausonii familiaris, qui a. u. 379 p. Chr. sive a. u. 1132 consul erat.

73. *Latinus Alcimus Avitus Alethius.* ep. 254—260. A. II. 173. 177. 178. III. 211. 212. 259. V. 150. Wernsdorfius egregie de hoc poeta disputavit docuitque, eum esse, quem inter professores Burdigalenses celebravit Ausonius. De aetate eius

dubitare non licet, cum Hieronymus in chronicis ad a. Christi 360 dicat: Alcimus et Delphidius rhetores in Aquitania florentissime docent. Carmina sunt vel elegiaca vel heroica vel hendecasyllabi, maioremque merentur laudem quam multa alia poetarum aequalium. Tunc enim temporis multos extitisse poetas constat, nec tamen Romae ii floruerunt potissimum, sed in provincia Galliarum. Ep. 259 epithalamium est, quod venustate epithalamio Gallieni imperatoris aemulatur. Ep. 260 an Alcimi sit nescio.

74. *Ablavius.* ep. 261. A. II. 114. Is consul fuit a. u. 1083 sive a. 331 p. Chr. Epigramma in Constantinum Magnum acumine plenum. In Anthologia graeca Palatina lib IX. ep. 762. Ablabio cuidam epigramma tribuitur, quem eundem esse suspicemur.

75. *Aemilius Magnus Arborius.* ep. 262. A. III. 275. Is rhetor Tolesanus Ausonio annis et consanguinitate coniunctus fuit. Elegia languida.

76. *D. Magnus Ausonius.* Is consul fuit a. p. Chr. 379 sive a. u. 1132. Etsi multa in editionibus Ausonii leguntur carmina, quae in Anthologia quoque extant, ut ep. 583. 617. 95. 1023. 1032. 284. 1051. 1052. 111. 1078. A. I. 43. 74. III. 268. 292. V. 45. 47. 85. 86. 141. 142., attamen nullum est, quod non aliorum potius poetarum esse videtur.

77. *Palladius.* ep. 263. A. I. 136. Hic rhetor aequalis erat Latini Alcimi. Carmen eius versibus Archilochiis constat.

78. *Symmachi.* ep. 265—273. A. II. 137. 143. 144—149. Haec epigrammata vulgo Symmacho inscribuntur, sed tres eorum auctores sunt. Primus enim, qui ep. 268. 270. 271. 272. 273. composuit, est L. Avianus Aurelius Symmachus, Q. Aurelii Symmachi oratoris pater. Is a. u. 1117 vel a. 364 p. Chr. praefectus urbi erat. Alter, cui ep. 266. 267. 268. (id novum est) tribuenda sunt, Q. Aurelius Symmachus filius est. Is a. u. 1123 sive a. p. Chr. 370 proconsul Africae, a. 384

praefectus urbi, a. 391 vel a. u. 1144 consul fuit. Tertius, cuius superest ep. 265 in Boethium, Q. Aurelius Anicius Symmachus, qui una cum Boethio filio a. 522 p. Chr. consulatum tenuit, esse videtur. Cuncta haec Symmachorum carmina invita Minerva sunt facta.

79. *Rufinus.* Rufino ep. 236. A. III. 89 versus anacyclici de amore in codice Divionensi tribuuntur. Is idem esse putatur; qui libellum de metris, quem grammaticis Putschii insertum esse constat, composuit. Atque e iunioribus grammaticis fuit, et aevo circiter Theodosiano floruit. Nec cum Rufino, Symmachi amico, orientis aulae praefecto, quem Claudianus poeta duobus libris insectatus est, confundendus, sed eo minor natu est. (Conf. Fabricius in Bibl. Med. et inf. aetatis v. Rufinus T. VI. p. 130.) Verum auctoritatem codicis Salmasiani secutus illud poema Optatiano Porphyrio vindicandum censui. Eidem porro Rufino alterum carmen, Pasiphaes fabulam Horatianis metris enarrans, quod A. III. 232 (ep. 997.) legimus, a Dousa, Goldasto, Fabricio biblioth. lat. T. III. p. 417 ed. Ernest., Wernsdorfio in Poet. T. II. p. 387 sine auctoritate codicum tribuitur.

80. *Sedulius.* ep. 274. A. V. 115. Is Theodosii iunioris, qui a. u. 1153. sive a. 400 p. Chr. natus a. u. 1203 vel a. 450 p. Chr. decessit, temporibus vixit. Epigramma in tabula orbis terrarum iussu Theodosii facta versatur.

81. *Augustinus.* ep. 275. 276. A. III. 144. Novum addidi ex codice Gothano Duebneri. Augustinus a. p. Chr. 430. 73 annos natus mortem obit.

82. *Rufus Festus Avienus.* ep. 277. 278. 279. 280. A. I. 169. 79. III. 58. 59. Wernsdorfius in Poet. T. V. p. 22 circa medium quarti post Christum seculi (350) vixisse Avienum putat. Ep. 279 languidum est. Ep. 280 inter Martialis poemata vulgo legitur, sed nimium quantum ab eius ingenio abhorret.

83. *Claudius Claudianus.* Is auctor Theodosio Magno

imperante, qui a. u. 1098 vel a. 345 p. Chr. natus a. u. 1148 vel a. 395 p. Chr. obiit, vixisse putatur. Sero vidi, tria epigrammata Anthologiae, 1082. 1083. 1121. sive A. V. 146. 147. 191 inter poemata Claudiani extare. At ep. 570 falso Claudiani esse fertur. Scriverius enim ad Anth. I. 15 adnotavit: *Citat Isidorus in Originibus capite de tropis sub Claudiani nomine.* Verum in Originibus Isidori lib. I. 36 nulla fit mentio Claudiani. Deinde F. V. Otto, qui Isidorum in Lindemanni corpore grammaticorum edidit, ad eundem Isidori locum pag. 56 dicit: *Citantur versus ut Claudiani ab Augustino l. III. de doctr. Chr.* Idem error Ottoni, qui Scriverio, accidit. In Augustino enim nullum Claudiani vestigium extat, ut ex adnotatione mea elucebit.

84. *Turcius Rufius Apronianus Asterius.* ep. 281. A. II. 187. Hic consul erat a. 494, et litteris adeo deditus, ut Virgilii codicem studiose emendaret.

85. *Mavortius.* ep. 282. A. I. 147. Vettius Agorius Basilius Mavortius consul erat sine collega anno post Christum 527. Is quoque litteris imbutus fuit: Horatii enim codicem recensuisse eum constat. Conf. Bentleius in praefatione Horatii sui.

86. *Patricius.* ep. 283. A. VI. 89. Patricium aequalem esse Boethii duco, et quidem eum, quem in praefatione commentariorum in Ciceronis Topica Boethius rhetorum peritissimum appellat. Paldamus vero (D. Röm. Erotik p. 90) Patricium non multum ante Symmachum vixisse vel aequalem eius fuisse arbitratur, quippe notum est, aliquot epistolas Symmachi lib. VII. 61—65. Patricio cuidam inscriptas esse. Verum conditio huius carminis allegorici ea est, ut inferiore aevo quam quo Symmachus vixit compositum esse potius credam.

87. *Priscianus.* ep. 284. 285. A. V. 47. 159. Aetatem Prisciani ex subscriptione codicis Heidelbergensis, quae in praefatione Krehlii pag. IX citatur, statuere licet. Ibi enim legimus: *Ego Theodorus scripsi artem Prisciani doctoris mei manu mea in*

urbe Roma Constantinopolitana die III. Idus Ianuarias Mavortio viro consule indictione quinta. Nam Mavortium a. p. Chr. 527 consulari dignitate ornatum fuisse, supra diximus. Ac Lindemannus in praef. ad Prisciani opuscula minora pag. XV, hunc a. 522 mortuum esse scribit. — Carmen *Est et Non* grammatici ingenium sapit. Ep. 1030. A. V. 43 in ms. Vossiano itidem Prisciano inscribitur.

88. *Phocas.* ep. 286. 287. 288. 289. A. II. 175. 256. 186. 185. Phocam Constantinopoli post Priscianum grammaticam professum esse, refert Fabricius in biblioth. lat. T. III. p. 406. ed. Ernest., nec aliter Lindemannus in corpore Grammaticorum T. I. p. 319 et Baehrius in litt. Rom. p. 732. At Wernsdorfius Prisciano et Cassiodoro, qui passim eius mentionem faciant, antiquiorem esse iudicat in Poet. T. II. p. 392. Priscianus enim Phocam citat in lib. X. p. 889 ed. Putsch. vel T. I. p. 490 ed. Krehl. (Deest Phocas in indice Krehliano auctorum.) Cassiodorus eundem in libello de arte grammatica p. 2322 ed. Putsch. commemorat. Huius auctoris poemata, etsi miserrima sunt, auctoritatem quandam habuisse videntur, cum saepe ab Andhelmo grammatico (p. 520. 533 ed. Maii) laudentur. In ep. 286 imitatus est Sulpicii Carthaginiensis carmen, quod supra habuimus ep. 222. Ep. 287 de arte sua grammatica pessimum est.

89. *Fulgentius.* Is vixit circa a 515, ut ex Saxii Onomast. T. II. p. 19. coll. Analect. p. 531 et Baehrii Litt. Rom. p. 733 patet, et auctorem esse ep. 388, carminis astronomici, quod Sisebuti regis esse infra dicemus, coniecerat Scaliger.

90. *Maximianus.* Is sub Theodorico et Anastasio circa annum 500 in republica versatus est, et elegias scripsit, quae a Wernsdorfio sunt editae, nec quidquam in Anthologia latina huius viri extat. Sed hoc loco de eo monendum esse duxi, quia cum altero Maximiano, qui inter poetas scholasticos nominabitur, a Fabricio in Biblioth. lat.

med. et infimae aetatis T. V. p. 60, Saxiò in Onomast. T.I. p. XXX, A. Maio in Tomo V. Auctt. class. e Vat. codd. editorum in disputatione praemissa confunditur. Quem errorem Carolus Langius in nomenclatore ad glossarium latinum atque Wernsdorfius in Poet. lat. T. VII. p. 170, ubi de elegiis Maximiani disseritur, deprehenderunt.

91. *Magnus Felix Ennodius.* ep. 264. A. III. 161. Is anno 521 diem obiit, unde patet, huc redigendum esse eius epigramma, non superiore loco, quo scriptores multo priores sunt collocati. Interim hoc epigramma omnino omittendum erat, quia inter cetera Ennodii carmina iam receptum legitur.

92. *Florentinus.* ep. 290. A. VI. 85. Ab hoc poeta nova in Anthologia latina poetarum series incipit. Aequales eius sunt Flavius Felix, Luxorius, Etemundis, Tuccianus. Qui omnes Carthagine vixerunt, tum cum Carthago altera Roma fuerat. Vandali enim subacta Italia Carthagine imperabant, (a. 429—534) eorumque reges Thrasamundus et Hildericus artibus litterisque adeo favebant, ut hac quoque re cum Roma vetere Carthago aemularetur. Sed facile intelligi potest, illis temporibus et per illam gentem auream litterarum aetatem reduci non potuisse. Conf. Gibbon Hist. Imperii Romani T. IX. p. 5.

93. *Flavius Felix.* ep. 291—295. A. III. 34. 35. 36. 37. VI. 86. Epigrammata pulchra excepto ultimo, quod scripserat auctor, ut clerici munus acciperet.

94. *Luxorius.* ep. 296—384. A. T. II. p. 579 ep. 1—84. adde A. III. 27. 41. Is sub Thrasamundo, Hilderico, Gelimere, Vandalorum regibus vixit. Conf. Meermannus ad Luxorii ep. 45. 54. 58. Thrasamundus ab a. 496 ad a. 523 Vandalis imperavit, Hildericus ab a. 523 ad a. 530, Gelimer ab a. 530 ad a. 534. Hic poeta propter lasciviam Vandalorum Martialis nominari potest, et obscenitas plerorumque carminum indicat, auctorem hominem ingeniosum quidem, at abiectum et impudicum, Vandalos vero luxuriae atque voluptatibus prorsus deditos fuisse.

Carmina multiplici versuum genere composita sunt, sed erroribus scatent licentia seculi. Attamen inter multa inepta aliquot bona esse non nego, ut ep. 345. 556. 373. 383. 384. Burmannus ex codice Divionensi Luxorii librum ediderat, sed in codice Salmasiano plura alia ei inserta sunt, quae ipsius esse negavit, ut ep. 587. 916. 176. 944. 1094. A. I. 29. III. 14. 25. 164. V. 163. Ego vero aliter sentio: nam non modo haec, verum multa alia Luxorio vindicanda censeo, ut ep. 1111. 1112. 1123.—1126. 1132. 1133. 1134. 946. A. V. 181. 182. 194. 195. 196. 197. 203. 204. 205. III. 167: ea enim carminibus eius simillima sunt. Cum in editione Burmanni Luxorii liber neglectus prope iaceret, nunc in meliorem redactum esse statum cura ac studio I. I. Ochsneri V. C., qui coniecturas mecum communicavit praestantissimas, omnes viri docti mecum laetabuntur.

95. *Etemundus.* ep. 547. A. III. 283. Nomen indicat, poetam fuisse Vandalicum.

96. *Tuccianus.* ep. 545. 546. A. 281. 282. Hunc quoque natione Vandalum fuisse, ex nomine coniicio.

97. *Eucheria.* ep. 385. A. V. 133. Wernsdorfius in poet. lat. T. II. p. 59. existimat, mulierem nobilem Aquitanicam vel Gallicam fuisse, et seculo post Christum quinto aut sexto vixisse.

98. *Eugenius.* ep. 386. 387. A. II. 264. V. 164. Utrumque inter Eugenii epigrammata vulgo legitur. Is auctor a. 646 in episcopatu Toletano Eugenio primo successit.

99. *Sisebutus.* ep. 388. A. V. 46. Flavius Sisebutus Gundemaro regi Gotho in Hispania successit a. p. Chr. 612, ac per octo annos cum dimidio imperium tenuit. Cuius tum de rebus gestis, tum de scriptis commentatus est Meermannus. Cum in aliquot codicibus hoc poema de eclipsibus lunae praestantissimum Isidori libro tertio Originum subiectum sit, Isidorus plerumque auctor eius habitus est. Andhelmus enim in libro de re gram-

matica et metrica pag. 520 dicit: *Isidorus vero vocales elisit ita: Argutusque inter latices et musica flabra.*

100. *Isidorus.* Is auctor esse ferebatur ep. 388, quod Sisebuti regis est, de quo modo diximus. Isidorus a. p. C. 636 diem obiit.

101. *Beda.* ep. 389. 390. 391. A. V. 116. 68. 70. Is auctor diem obiit a. 735. Ep. 389, compositionem horologii describens, non Bedae, sed Wandalberti Prumiensis esse testatur Fabricius in Bibl. lat. inf. et med. aet. T. I. p. 193. Ep. 391 sive Bedae cuculus venustate et ingenio caret. Aliud etiam carmen a Burmanno Bedae inscriptum est, ep. 1051. A. V. 85, verum antiquioris poetae esse, ipse Beda in operibus suis T. II. p. 68 dicit.

102. *Iulius Speratus.* ep. 392. A. V. 149. Auctorem in codice St. Galli reperit Goldastus, cuius eo tantum aetas notari potest, quod Paulus Alvarus Cordubensis, seculi noni monachus, in duobus de philomela carminibus hoc carmen imitaretur.

103. *Theodulfus.* ep. 393. A. V. 138. Is mortuus est a. 821. Hoc carmen insipidum delendum erat, quia inter cetera Theodulfi poemata editum est.

104. *Wandalbertus Prumiensis Diaconus.* (Diakon in der Abtei Prüm im Bisthum Trier.) Is circa a. 850 vixit. Ep. 389, quod vulgo Bedae inscribitur, huic a Fabricio et Mabillonio vindicari, supra dixi.

105. *Gerbertus.* ep. 394. A. II. 136. Is nomine Silvestris secundi pontifex Romanus fuit inde ab a. 999 ad a. 1003, quo anno decessit. Epigramma bonum est et in laude Boethii versatur, cuius in bibliotheca sua scripta Otho tertius imperator collocavit. Conf. Heerenius Geschichte der Philologie T. I. p. 164.

106. *Marbodus* sive *Merobaudus.* Is a. 1123. diem obiit. Conf. Fabricii bibl. lat. med. et inf. aet. T. V. p. 16. Saxii Onomast. T. II. p. 201. Cui

ab Hommeyo Supplemento Patrum p. 549 parum verisimili coniectura ep. 69 *Thrax puer*, quod Iulio Caesari aut Caesari Germanico vulgo tribuitur, vindicari dicit Fabricius in bibl. lat. T. I. p. 274 ed. Ernestii. Deinde *proverbia Catonis philosophi*, quae in carminibus Marbodi postremo loco leguntur, in A. III. 110. (ep. 938.) extant. Atque ep. 640. A. I. 105 *de Troia et Hectore* in Marbodii poemate de ornamentis verborum legitur.

107. *Hugo Metellus.* Is a. 1117 decessit. Eum auctorem esse aenigmatum, quae ep. 1058. 1059. 1063. 1069. A. V. 118. 119. 123. 129. leguntur, coniicit Meermannus. Quorum primum in fine versuum allitterationem facit more recentiorum.

108. *Hildebertus Cenomanensis* (Bischof von Mans.). ep. 395. A. III. 5. Is initio seculi duodecimi vixit. Hic duas elegias composuit, unam, in qua Romam ethnicam versibus exornavit. Huic alteram opposuit, in qua Romam Christianam laudibus effert. Prior in Anthologia legitur, deque ea Niebuhrius in libro Beschreibung der Stadt Rom von Platner und Bunsen disserit T. I. p. 120, eandemque in nostrum sermonem ibidem vertit Bunsenius pag. 249. Atque in ultimum elegiae distichon commentatus est Lessingius in operibus T. XIV. p. 382.

109. *Alanus de Insulis.* ep. 396. A. III. 90. Alanus de Insulis sive ex civitate Insulana, Gallo-Flandriae metropoli, doctor Parisiensis, inde monachus Claraevallis, defunctus est a. 1202, annos 93 natus. Conf. Fabricius bibl. lat. med. et inf. aet. T. I. p. 35. Saxius Onomast. T. II. p. 267. Vossius de poet. lat. p. 75. Hanc oden, quae hendecasyllabis Alcaicis constat, lAani esse, quod addubitaverat Saxius in indice Onomastici T. II. p. 601, testatus est Barthius in Adversariis XV. 9.

110. *Poetae Scholastici duodecim.* i. e. Maximianus, Euforbus, Vomanus, Hilasius, Iulianus, Vitalis, Pompeianus, Eusthenius, Asmenius, Palladius,

Asclepiadius, Basilius. Ep. 397—528. A. II. 158—169. 195. 197. 198. III. 75. V. 2—13. 17—28. 29—39. 52—63. 89—100. 101—112. Aetatem horum poetarum ex eo colligere licet, quod scimus, quando vixerit Maximianus. Maximianus enim grammaticus, versificator, qui natione Gallus in Academia Parisiensi praelegi pueris solebat, vixit anno circiter 1200. Conf. Carolus Cangius in Nomenclatore ad Glossarium Latinum, Fabricius bibl. lat. med. et inf. aet. T. V. p. 59., Iustus Fontaninus historia litter. Aquit. c. III. §. 111. p. 50, Wernsdorfius in Poet. T. VII. p. 170. Hunc vero plerique confuderunt cum altero Maximiano, elegiarum scriptore, qui Theodosii imperatoris legatus fuit, ut supra iam in Maximiano et in Iahnii annalibus 1833. 2 Supplem. 2 H. p. 192. duce Wernsdorfio usus monui. Duodecim illi poetae aequales fuerunt, litterasque in Academia Parisiensi professos esse, veri est simile. Ex carminibus eorum patet, ludos musicos et certamina poetica ab iis instituta esse, quorum ea fuerat ratio, ut singuli eodem rhythmo ac de eadem re, de qua inter se convenerant, versus componerent. Hic mos non in academia Parisiensi solum olim invaluisse videtur, sed etiam nunc in academiis Italicis viget. Nec spiritu poetico haec epigrammata carent, et elegantia atque simplicitate eminent et recentiorum Italorum carminibus similiora quam antiquorum sunt. Eae vero res, in quibus hi poetae ludebant, hae sunt:

1. *Ciceronis tumulus* numero elegiaco.
2. *argumenta in Virgilii Aeneidem* versibus quinque hexametris.
3. *epitaphia Virgilii* duobus distichis.
4. *epitaphia Virgilii* singulis distichis.
5. *carmina de ratione tabulae* ex singulis versibus, qui senis verbis et litteris constant.
6. *De ortu solis* duobus distichis.
7. *Iris sive de arcu coelesti* e trinis versiculis heroicis.

8. *de signis coelestibus* senis versibus hexametris.
9. *descriptio quatuor tempestatum anni* quaternis versibus hexametris.
10. *amnis glacie concretus* singulis distichis.
11. *imago in unda* singulis distichis heroicis.

111. *Hilasius.* ep. 529. 530. A. II. 200. 201. Poeta scholasticus, cuius non tantum inter ludos poeticos illorum poetarum, sed alia praeterea carmina extant.

112. *Asmenus.* ep. 531. 532. A. V. 132. II. 190. Poeta scholasticus. Ep. 532 ab aliis Basilio inscribitur.

113. *Vomanus.* ep. 533. 534. A. III. 51. 92. Poeta scholasticus. Ep. 533 de laudibus hortuli elegans est. Ep. 534 Symposio vulgo tribuitur.

114. *Basilius.* Poeta scholasticus, cui ab aliis ep. 532 et 535 tribuuntur.

115. *Vitalis.* Ep. 535. A. III. 85. Poeta scholasticus.

116. *Eusebius.* Huic in edit. Burmanni *tumulus Achillis* A. I. 98. inscribitur, sed Pentadii esse, auctor est Scaliger. Tum in aliquot codicibus inter poetas scholasticos Eusebius nominatur, verum in optimis libris ubique pro eo Eusthenius existit, ita ut in spongiam incumbere debeat Eusebius.

117. *Eusthenius.* poeta scholasticus, cui ab aliis Pentadii epitaphium Achillis, A. I. 98, adscribitur, eundemque in codicibus cum Eusebio commutari solere, modo dixi.

Auctores Incerti.

118. *Regianus.* ep. 536. 537. 538. A. III. 28. 38. 53. Epigrammata venusta sunt.

119. *Ponnanus.* ep. 539. A. II. 71. An *Pompeianus* sit legendus, qui poetarum scholasticorum est, quaeri potest.

120. *Caelius Firmianus Symposius.* ep. 540. A. III. 104. Is idem est, qui aenigmatum librum scri-

psit. Symposium poetam mirificum metricae artis peritia esse dicit Andhelmus, grammaticus seculi septimi, qui aequalis eius fuisse videtur. Carmen choriambicis constat.

121. *Lindinus.* ep. 541. A. III. 94. Hendecasyllabi.

122. *Sulpicius Lupercus Servastus iunior.* ep. 542. 543. A. III. 97. 74.

123. *Aurelius Romulus.* ep. 544. A. II. 236.

124. *Vincentius.* ep. 548. A. I. 154. Carmen sensu destitutum.

125. *Coronatus.* ep. 549. 550. 551. A. I. 176. V. 155. 157. quod etiam A. I. 177 editum est. Ep. 549 intellectu caret; ep. 551 gallinam ovatam describit, in quo ridiculum commisit Burmannus errorem, qui, cum primum ederet, in Medeam dictum putabat.

126. *Donatus.* ep. 552. A. V. 156. Duos eius nominis grammaticos extitisse constat: uter eorum sit epigrammatis auctor, nescio.

127. *Laetus Avianus.* ep. 553. Ex Addendis T. I. p. 738. Incertum, an fabularum scriptor sit intelligendus, et ne Cannegieterus quidem in dissertatione de Flavio Aviano p. 262 hanc quaestionem solvere ausus est.

128. *Caesar.* ep. 554. A. II. 230. Optimum epigramma, quod Hadriano Caesare aut meliore etiam poeta dignum est.

129. *Petrus Referendarius.* ep. 555. A. VI. 88. Carmen eroticum miserrimum. Nescio an Petrus Referendarius aequalis fuerit Laurentii Lydi, qui a. 500 p. C. vixit, quemque Saxius in Onomastico T. II. p. 27 affert.

130. *Claudius.* ep. 556. A. V. 15. Multos eius nominis poetas extitisse constat.

131. *Modestus.* ep. 557. A. II. 171.

132. *Valerianus.* ep. 558. A. II. 157. Valerianus ex catalogo poetarum delendus, cum ex Valerio Martiali sit conglutinatus. Quatuor enim priores versus in Martiali III. 66, ultimum distichon ibidem V. 70 legitur.

133. *Reposianus.* ep. 559. A. I. 72. Poeta pessimus.

134. *Victorinus.* Mansius adnotavit in Fabricii bibl. lat. m. et i. aet. T. VI. p. 130: „Auctores historiae litterariae Gallicae existimant, poema illud (ep. 997.), quod fabulam Pasiphaes metris omnibus Horatianis exprimit, esse Rufini. Longe melior est sententia Fabricii nostri, Biblioth. latin. IV. 7. p. 796., qui Victorini grammatici esse ostendit, illius scilicet Antiochensis, cuius librum de metris Terentianis in collectione sua exhibet Putschius p. 2706." — Sed memoria, opinor, lapsus est Mansius, cum Fabricius in illo loco fabulam Pasiphaes ipsi Rufino vindicaret.

135. *Tullius Marcus.* ep. 945. A. III. 166. Nemo suspicetur, Ciceronem esse intelligendum.

136. *Vergilius.* Grammaticus atque poeta sexti vel septimi seculi, quem Andhelmus de re grammatica pag. 520 affert: Vergilius libro, quem Paedagogus praetitulavit, cuius principium est:

Carmina si fuerint te iudice digna favore,
reddetur titulus purpureusque nitor;
si minus, aestivas poteris convolvere sardas,
aut piper aut calvas hinc operire nuces.

137. *Laurentius.* Falso hic a Nodello in Observat. crit. p. 4. auctor epithalamii vocatur. Ep. enim 1143 non a Laurentio compositum, verum epithalamium est Laurentii et Mariae.

Hac in disputatione plus centum et quadraginta recensui poetas: quorum nonnulli adhuc celeberrimi sunt, at plerorumque vetustate memoria abiit, ita ut in iis libris, qui in historia litterarum Romanarum versantur, ne nomina quidem eorum appareant.

Superest, ut de carminibus supposititiis vel recentioribus dicam. Ac mirabuntur sane lectores, quantus sit eorum numerus. Nam a Scaligero, Pithoeo, Burmanno plus centum viginti in Anthologiam recepta sunt, quae a recentioribus poetis composita esse

constat, nec dubito, quin alia praeterea lateant, quae falso itidem antiquitatis prae se ferunt speciem. Pithoeus enim in colligendis epigrammatis multo diligentior quam prudentior erat, nec Burmannus eiusdem culpae immunis est. Ac multo maiore Anthologiam latinam laude atque honore vulgo fruitam fuisse arbitror, nisi miserorum carminum numerus a Burmanno tantopere auctus esset. Pessimi vero omnium sunt centones, quorum tot Burmannus edidit, quosque summo me taedio percucurrisse fateor. Pleraque igitur poematum recentiorum in appendicem (ep. 1537—1606.) reieci: sed cum non omnia in eam redigere liceret, verum multis, quorum de antiquitate amplius deliberandum censui, idem, quem in editione Burmanni tenent, locus dandus esset, cuncta singulatim hic in prooemio colligere malui.

Ep. 63. *Ciceronis in T. Caninium Rebilum.* Nemo dixit, quo in codice hi versus iambici legantur. Macrobius enim haec verba metro soluto refert, unde Scaliger ea numero exornasse videtur.

Ep. 69. *C. Iulii Caesaris in puerum submersum.* Alii Iulio Caesari, alii Caesari Germanico, alii Octaviano Caesari Augusto, alii denique Marbodo tribuebant. Idem epigramma bis in Anthologia graeca legitur, cum inter Philippi carmina ep. 71. vid. Iacobsii Animadv. T. II. P. 2. p. 198., tum inter Flacci epigrammata. Anth. Palatin. lib. VII, 542. Carmen latinum e graeco a recentiore poeta conversum esse, docuerunt Bonada Vol. II. p. 264., Bimardus in Thesauro Muratorii T. I. p. 33., D'Orvillius, Schraderus in epist. crit. p. 62.

Ep. 70. *Iulii Caesaris.* Scriverius et Fabricius Bibl. lat. T. I. p. 274 ed. Ernest. spurium esse dixerunt.

Ep. 87. *Virgilii Maronis in Augustum.* De his duobus versibus mire fabulantur aevi medii scriptores. Alexander Abbas Celesini Monasterii lib. III de rebus gestis Rogerii Siciliae regis p. 120 scribit, Virgilium Neapoli dominium habuisse, et ibi ingens volumen hexametris versibus composuisse, et (p. 127)

meruisse ab Augusto Neapolitanae urbis et simul provinciae Calabriae dominatum pro duobus, quos scripserit, versibus:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Divisum imperium cum Iove Caesar habet.

Conf. Fabricii Bibl. lat. T. I. p. 306 ed. Ernest. Aliam narrationem de his versibus et de iis, qui mox sequuntur, refert Donatus; sed fictos esse existimo.

Ep. 88. *Virgilii in Bathyllum poetam.* Afferuntur a Donato atque ab Andhelmo grammatico p. 576, qui dicit *Vergilius in tetrasticis theatralibus Sic vos non vobis mellificatis apes.* Virgilii ingenio prorsus sunt indigni.

Ep. 97. *Virgilii in Ballistam ludi magistrum.* A grammatico ducit originem.

Ep. 98 *epitaphium Virgilii.* Haec inscriptio olim in Pausilypo prope Neapolim, ubi Virgilii sepulcrum esse fertur, extabat. Conf. Keyslers Reisen p. 835.

Ep. 864. A. II. 199. Epitaphium Virgilii, quod deleta priore inscriptione, de qua modo diximus, seculo sexto decimo eodem loco candido marmori insculpebatur. Conf. Fabric. Bibl. lat. T. I. p. 304. ed. Ernest. Keyslers Reisen p. 836.

Ep. 99. *Virgilii Maronis.* Hoc distichon poetam medii aevi sapit.

Ep. 112. *Cassii Parmensis Orpheus.* Antonius Thylesius auctor.

Ep. 114 et 115. *Horatii Odae duae.* Compositae seculo decimo octavo.

Ep. 117. *Germanici Caesaris tumulus Hectoris.* Dubitatur de antiquitate carminis.

Ep. 133. *Senecae.* Deterioris aevi est.

Ep. 185. *Petronii Antigenidis in Telephum.* Weichertius recens esse censuit, verum causam iudicii sui non aperuit: nec eam me videre fateor.

Ep. 225. *Appuleii.* Appuleio abiudicandum, immo recens esse patet.

Ep. 230. *Appuleii ἀνεχόμενος ex Menandro.* Est Mureti carmen.

Ep. 253. *Citerii Sidonii oratoris de pastoribus.* Torremuzza recens esse adnotavit.

Ep. 557. *Modesti Lucretia.* Burmannus recens esse dicit.

Ep. 558. *Valeriani de Cicerone.* Hoc epigramma ex duobus Valerii Martialis epigrammatis compositum est.

Ep. 580. Leonardus Aretinus in imaginem Braccii Montonii fecit. At Morcellus antiquum esse demonstrare studet.

Ep. 1537. Est Euriali Moranii Asculani, poetae, qui sexto decimo seculo vixit.

Ep. 1539. Hoc epitaphium, pedestri sermone scriptum, a Guarino Veronensi ex Plutarcho conversum est.

Ep. 589. Orellius hos versus seculo sexto decimo scriptos esse dicit.

Ep. 1545. Recens esse et e graeco conversum dixere Pithoeus et Scriverius.

Ep. 690. Octavius Ferrarius suppositis adnumeravit.

Ep. 1555. Epigramma Gratiarum statuas, quae in palatio Dirae Columnae videbantur, celebrat.

Ep. 693. antiquum non esse Hieronymus Atestinus colligit.

Ep. 694. Hanc inscriptionem a Lupato de Lupatis factam esse, tum alii, tum Keyslerus in Itinerario suo p. 1058 demonstrarunt. Is primum versum aliter legit *Inclitus Antenor, patria vox, nisa quietem,* etc.

Ep. 697. Carmen in Alexandrum Magnum recens esse existimo: sermo enim a veteri prorsus abhorret.

Ep. 1556. *Q. Fabii dictatoris nepotum.* Burmannus recens esse colligit.

Ep. 1557. *Livii Salinatoris.* Aevi sequioris esse auctor est Burmannus.

Ep. 708. Torremuzza recentiorem inscriptionem esse statuit.

Ep. 1558. *Euripides.* Recens esse, quivis facile sentiet.

Ep. 724. Maiansius atque Osannus epigramma fictum esse contendunt.

Ep. 1544. *Iulii in Petronium Arbitrum.* Iulium Romanum sive Pomponium Laetum hos versus fecisse demonstravit Niebuhrius.

Ep. 758. Inter carmina Michaelis Marulli legitur, nec antiquioris poetae esse existimo. In versu quarto in Marullo melius legitur *at moveat* etc.

Ep. 770. Burmannus atque Schraderus recens esse iudicarunt.

Ep. 789. Recens esse a multis demonstratur.

Ep. 827. Maiansius suppositum esse demonstravit.

Ep. 841. Aut novum aut medii aevi esse duco.

Ep. 848. de Boethio. Recens esse docuit Millinius.

Ep. 1551. *Appuleii.* Id ab editore quodam Appuleii compositum esse, ex verbis Oudendorpii apparet.

Ep. 1552. Marullo tribuit Burmannus.

Ep. 1553. *Epicteti de Venere.* Antiquum non esse, ex eo apparet, quod in *Altercatione Hadriani et Epicteti* legitur.

Ep. 1559. *Epitaphium Ciceronis.* Suspectum esse affirmat Burmannus.

Ep. 1560. *Epitaphium Ovidii.* Fictum esse, Schoenwisnerus accurate docuit.

Ep. 1561. *De primis Latii regibus.* Recens esse putat Burmannus.

Ep. 1562. Maiansius auctor est, antiquum non esse epigramma.

Liber Tertius.

Ep. 881. *De vetere Roma.* Recens esse epigramma, ex Keysleri Itinere patet p. 535.

Ep. 883. *De villae Ruffinae fonte,* quod ex Addendis T. I. p. 740 recepi, recens est, ut ex ipsa inscriptione patet.

Ep. 885. *De Treveris.* Epigramma eius est, qui de antiquitate urbis Trevirorum imponere voluit.

Ep. 1563. *Interamnae.* Recens esse dixit Almeloveenius.

Ep. 889. A. III. 26. *De Fonte.* In Schradaei Monum. Ital. p. 198. inscribitur *In fonte ante S. Mariam Transtiber*, unde in fontem recentiorum temporum inscriptum esse apparet.

Ep. 1540. A. III. 64. *De Vita humiliori.* Ex Francisci Petrarchae ecloga tertia.

Ep. 934. A. III. 86. *De Venere, Vino et Balneis.* Scaliger foetum recentioris poetae et ex Graeco expressum dicit. Sed in lapide sepulcrali ex
statur Gruterus et Osannus. tare te-

Ep. 1554. A. III. 96. *Epicteti.* Inscriptionem falsam esse, totumque suspectum, in adnotatione dixi.

Ep. 939. A. III. 145. Recens esse videtur.

Ep. 1564. A. III. 146. *Epicuri.* Recens esse demonstravit Naekius.

Ep. 989. A. III. 219. *Lydia bella puella.* Naekius aevo medio, Niebuhrius autem XV seculo tribuit.

Ep. 1541. A. III. 165. *In Graeculum a cane interfectum.* Est Adriani Scorelii Batavi.

Ep. 1565. A. III. 172. *De duabus sororibus meretriculis ex Illyrico Gentia et Chloe, quae Romana castra cum matre lena sequebantur.* Iam Scaliger recens esse suspicatus est; alii vero Cornelio Gallo tribuerunt.

Ep. 1538. A. III. 177. *Pulicis de Hermaphrodito.* Henricus Pulex (Pulice de Custoza) Vicentinus, poeta seculi quarti decimi, auctor est. Alii ab Antonio Panormitano compositum esse opinabantur, qua de re Forbergus pag. 168. disputavit. Scaliger autem veteri poetae tribuit.

Ep. 1566. A. III. 263. *In Flaviam Rufillam puellam formosam.* Antonius Thebaldeus Ferrariensis aut Augustinus Brenzonius auctor esse fertur.

Ep. 1567. A. 266. *De Theide et Mela.* Iulii Bulengeri esse adnotavit Pithoeus.

Ep. 1568. A. III. 267. *In statuam Satyri et pueri.* Est Hieronymi Vulpii Novocomensis.

Ep. 1569. A. III. 269. *In puerum formosum.* Est Ioannis Aurati.

Ep. 1011. A. III. 274. *in Senectutem amori inertem.* Hoc epigramma miserum ex ingenio poetae recentioris natum esse sentio.

Liber quintus.

Ep. 1072. A. V. 134. *Caesaris ad valvas sedeo.* Antiquo colore id carere iudico.

Ep. 1085. A. V. 151. *De pica dialogismus. Albedo. Nigredo. Pica. Natura.* Recens esse epigramma quivis sentiet.

Ep. 1140. A. V. 211. Ex bibliotheca Niceronii, conversa in sermonem nostrum a Baumgartenio, T. VI. p. 203 apparet, hos versus a Pio secundo, papa, qui antea Aeneae Sylvii gesserat nomen, in poetam quendam scriptos esse.

Ep. 1546. A. V. 213. *Dum rides.* Ex Ioviani Pontani hendecasyllabis sumtum putat Leichius, Maffeius vero Augustino Brenzonio vindicavit.

Ep. 1547. A. V. 214. *Epigramma vetus incerti auctoris.* Moneta auctor est, hos versus ab Iacobo Bugio Andensi in nuptias Margarethae, filiae Caroli quinti nothae dictos esse.

Ep. 1548. A. V. 215. *Spoleti. Nymph. Font. Lysimach. V.* Ab Italo quodam fictum est.

Ep. 1549. A. V. 216. *Pani Custod.... Sub imagine Panis rudilapide. Veronae. effossum in Calabria.* Itidem ab Italo quodam effictum.

Ep. 1550. A. V. 217. *Est rosa flos Veneris.* Hoc epigramma eo factum, ut illud *sub rosa dictum* versibus explicaretur.

Liber quartus.

Ep. 1146. A. IV. 3. *Aemilii.* Ferretius atque Schraderus commentitium esse docuerunt.

Ep. 1151. A. IV. 9. *Apicii.* Fictam esse inscriptionem Fabrettus ac Schraderus docuere.

Ep. 1160. *Vixi edi atque bibi.* Antiquo destituta colore.

Ep. 1167. A. IV. 13. *Memoriae M. Luccei M. F. Nepotis Sex. Onusianus.* Fidem epitaphii labefactavit Schraderus, nec aliter iudicandum esse arbitror, cum in declamationem vanam exeat epitaphium, pluresque versus ab auctore ex Horatio Ovidioque sumti sint.

Ep. 1168. A. IV. 14. *Camilli Aquileii.* Recentem esse inscriptionem, Maiansius docuit.

Ep. 1570. A. IV. 16. *Hersili.* Michaeli Marullo tribui debet.

Ep. 1571. A. IV. 17. *Felicis.* Muratorius atque Schraderus de antiquitate dubitant.

Ep. 1170. A. IV. 18. *Marii.* Recens esse Schraderus iudicavit.

Ep. 1572. A. IV. 22. Maiansius, Wesselingius, Meermannus atque Schraderus fictam inscriptionem docuerunt.

Ep. 1573. A. IV. 55. Maiansius fictum esse putat.

Ep. 1574. A. IV. 38. *Tyrrheni Etrusci.* Burmannus suspectum esse iudicavit.

Ep. 1192. A. IV. 45. Recens esse Schraderus iudicavit.

Ep. 1193. A. IV. 46. Recens esse epitaphium, ex itineribus Keysleri p. 418 elucet, unde cognoscimus legi Sienae in ecclesia Sancti Spiritus.

Ep. 1198. A. IV. 51. Hoc epitaphium in aede Mariae del popolo Romae legitur, ubi Franciscus Tovarus Vallisoletanus I. U. D. subscriptus est, unde recens esse patet.

Ep. 1575. A. IV. 58. *Mulieris a marito interfectae.* Epitaphium Christinae Patavinae est, nec color tantum sententiarum, sed etiam mulieris nomen recens esse epigramma demonstrat.

Ep. 1576. A. IV. 59. *Miellae caesae et a suibus erutae.* In Ioviani Pontani poematis extat.

Ep. 1542. A. IV. 65. *Constantinae Mauritii Imp. uxoris.* Epitaphium hoc in Zonara legitur, et e graeco conversum est ab Hieronymo Wolfio.

Ep. 1213. A. IV. 69. *in Neaeram.* Id non adeo vetustum esse censeo, ut iam nomen *Leon* indicat.

Ep. 1577. A. IV. 72. *Angelae.* Heinsius atque Schraderus suspectum esse crediderunt ob *Angelae* nomen.

Ep. 1543. A. IV. 74. *Lucillae.* Epigramma graecum, quod in Anth. graeca legitur, a Vineto in latinum conversum est, ut Burmannus atque Iacobsius in Animadv. Vol. III. P. 2. p. 316 dixerunt.

Ep. 1578. A. IV. 76. Recens esse Burmannus suspicatur. Nec aliter Schraderus iudicavit in ep. crit. p. 59. Pleraque huius generis, inquit, carmina, quae, tamquam ex Italia sibi missa forent, Angli nuper credulis venditarunt, ab hominibus versutis et callidis videntur esse ficta. Quo similiora autem sunt antiquis, hoc suspectiora, velut hoc

Et lac et vini pateras et liquida mella,

quo scriptor eruditulus similitudinem ducere voluit e Lucretio, qui primam syllabam vocis *liquidus* porrigere solet.

Ep. 1579. A. IV. 77. Schraderus adnotat: Schradaeus in monum. Ital. p. 156 a. versus distinctos exhibet hoc pacto:

Lucretiae Maffaeae.

Si cineres vitae specimen post fata reservant,
hic proprio nulli cedet honore cinis.

Maffaeorum gemell.

Una dies etc.

Nec aliter exhibentur in tuo codice Ms. Quare dubitandum non videtur, quin duo sint epitaphia recentissima.

Ep. 1580. A. IV. 85. Schraderus adnotavit ep. cr. p. 40.: „*Vix dubito, quin auctor sit Franciscus Columna, qui multas huius generis in Hypnerotomachia Poliphili finxit.*“ — Hic Franciscus Columna, ab amoribus *Poliae*, virginis nobilis Tarvisinae, *Po-*

liphili nomine insignitus, Hypnerotomachiam a. 1467 scripsit, teste Fabricio in Bibl. inf. et med. aet. T. I. p. 403.

Ep. 1581. A. IV. 95. *Recens est carmen, quod habetur in poematibus Basilii Zanchii lib. VII. p.* 232 *ed. Basil. a.* 1553., *novae p.* 181. Schraderus ep. cr. p. 62. De Basilio Zanchio, Bergomate, poeta et philosopho Romano v. Sax. Onomast. T. III. p. 289. Anal. p. 637.

Ep. 1582. A. IV. 99. *Non dubito, quin recens sit carmen a Cotta scriptum in Ioannem Quinterium Laudensem, cuius adolescentis pulchritudo celebrabatur.* Schraderus ep. crit. p. 63.

Ep. 1583. A. IV. 112. *Recens hoc est carmen, et in Hieronymum Angerianum scriptum, qui propria manu cecidit.* Hoc adnotavit Schraderus. Ac sub incerti auctoris nomine carminibus Angeriani in fine adnectitur.

Ep. 1584. A. IV. 113. *In Alexandrum Novoleriae comitem, cui congruit, scriptum esse Schradaeus indicat Monum. Ital. p.* 230 *a. Est itaque recens aeque ut praecedens epitaphium.* Schrader. ep. cr. p. 64.

Ep. 1585. A. IV. 114. *Recens carmen est in Camillam.* Schraderus ep. cr. p. 65. Simillimum carmen inter Sannazarii poemata legitur lib. I. epigr. 42.

Ep. 1586. A. IV. 122. In hoc carmine fucus, non verus dolor loquitur. Ac recens esse, iam Bonada, Dorvillius, Burmannus senserunt. Nec auctorem eius ignoramus. Dorvillius enim Ioviano Pontano tribuendum esse existimat.

Ep. 1261. A. IV. 134. *Deiphobes. An carmen, ex unius Schradaei Monum. Ital. p.* 187 *a. sumtum, sit antiquum, dubito.* Schraderus ep. cr. p. 66. Observavi autem, omnia carmina, quae ex Schradaei libro in Anthologiam transierunt, nova esse.

Ep. 1262. A. IV. 135. Suspectum cum propter Vincentiae nomen, tum propter colorem orationis.

Ep. 1274. A. IV. 142. Vulpius epitaphium Claudiae Homonoeae seculo decimo sexto fictum esse dicit, idque ex eo colligendum opinatur, quod eloquentiae ni-

mia accuratae sit, et vix ex inscriptionibus aliquam reperias, quae verborum delectu ac proprietate cum ea certare possit. Sed errare Vulpium existimo. Hoc carmen ab optimo seculi Augustei poeta compositum est, et sententiarum color verum dolorem, non fictum prodit. Verus autem dolor imitatione attingi non potest. Osannus quoque Vulpii opinionem refutavit.

Ep. 1587. A. IV. 167. *Lydae*, Schraderus novum esse monuit.

Ep. 1588. A. IV. 174. Burmannus atque Schraderus recens esse auctores sunt.

Ep. 1589. A. IV. 187. Pulcherrimum epitaphium Burmannus et Schraderus recens esse agnoverunt.

Ep. 1590. A. IV. 190. Schradaeus Dorotheae Tonnae, Chrytraeus vero Iuliae Maffeiae positum dicit, unde recens esse Schraderus monuit.

Ep. 1591. A. IV. 204. A pessimo certe poeta, si antiquum esse credimus, factum.

Ep. 1592. A. IV. 214. Maiansius fictum putat.

Ep. 1593. A. IV. 244. Antonium Epicurum poetam Neapolitanum, qui octogenarius anno 1555 obiit, hos versus composuisse, Keyslerus et Schraderus comprobant.

Ep. 1353. A. IV. 250. Gudius et Gruterus fictam inscriptionem esse monuerunt.

Ep. 1594. A. IV. 251. Legitur in Iani Anysii poetae Neapolitani carminibus.

Ep. 1595. A. IV. 258. Schraderus novum esse docuit, idque ex Schradaei libro apparet.

Ep. 1596. A. IV. 262. Extat in Schradaei libro inter epitaphia recentioris aevi Neapolitana.

Ep. 1375. A. IV. 276. Sannazarius hoc epitaphium Andreae Bonifacio puero Neapoli posuit, ut ex Keysleri itinere p. 831 apparet.

Ep. 1597. A. IV. 280. Quod iis epigrammatis, quae Angli pro vetustis venditaverint, adnumerandum esse, Burmannus ac Schraderus monuere.

Ep. 1388. A. IV. 291. Hoc epitaphium, quod ex Schradaei libro retulit Burmannus, recens esse puto.

Ep. 1423. A. IV. 333. Recens esse sententiarum color comprobare videtur.

Ep. 1598. A. IV. 340. Maiansius spuriam inscriptionem esse adnotavit.

Ep. 1599. A. IV. 342. Ex subscriptione apparet, recentissimum esse epitaphium.

Ep. 1600. A. IV. 349. Dorvillius adnotat: *Nescio quid statuam de eleganti quidem, sed nimis κεκαλλωπισμένῳ epigrammate*, et Schraderus novum esse edixit in ep. cr. p. 68. Contra Boissonadius falso suspectum haberi opinatur.

Ep. 1601. A. IV. 350. *in Manfridum tonsorem.* Ipsum adeo hominis nomen recens esse carmen demonstrat.

Ep. 1602. A. IV. 358. Recens esse, Schraderus ex Schradaei libro p. 162 a. comprobavit.

Ep. 1603. A. IV. 389. Epigramma in Schradaei tantum Monum. Ital. p. 161 legitur, eique color antiquus deest.

Ep. 1604. A. IV. 400. Antonii Thebaldaei esse Fabrettus et Schraderus docuerunt.

Ep. 1605. A. IV. 401. Fabrettus et Schraderus recens esse adnotarunt.

Ep. 1606. A. IV. 403. Broukhusius docuit, Ioachimum Bellaium ex Italico sermone in latinum vertisse.

ANNOTATIONES.

1.

Hoc epigramma; quod cum tribus sequentibus extat in Monumento Scipionum extra portam Capenam detecto a. 1780, ex Orellii Inscriptt. n. 550 edidi. Conf. *La Via Appia Dal Sepolcro De'Scipioni al Mausoleo Di Metella Carme Del Cav. P. E. Visconti. Si aggiunge un'appendice di scelte antiche iscrizioni.* Roma. Prez so Antonio Boulzaler 1832. Niebuhrium in Hist. Rom. T. I. p. 265. ea carmina pro naeniis habuisse constat. Conf. Zellii Ferienschriften T. II. p. 187. — L. Cornelius Scipio Barbatus, Cn. filius, proavus Africani maioris, cui inscriptum est, consul fuit a. u. 456. Conf. Niebuhrii H. Rom. T. III. p. 309. 441. Cum vero in constituendo numero idem Niebuhrius ac Grotefendius inter se discedant, utriusque eorum rationem indicabo. Niebuhrius enim versus sic distinxit (H. R. T. I. p. 265 ed. sec.):

Cornélius Lúcius Scípio Barbátus,
Gnaivó [patre] prognátus, fortis vír sapiénsque,
quoius fórma vírtuti parísuma fuít,
consúl, censor, aédilis, quí fuit apúd vos,
Taurásiam, Cesaúnam Sámnio cépit,
subícit omnem Lúcánaam,
obsidésque abdúcit.

G. F. Grotefendius in Gr. Lat. T. II. p. 294. aliter disposuit accentus.

Cornéliús Lucíus Scípió Barbátus,
Gnaivód patré prognátus, fórtis vír sapiénsque,
quoíus fórma vírtuteí parísumá fuit,
consól, censór, aidílis, queí fuít apúd vos,
Taurásiám, Cisaúnam, Sámniómque cépit,
subiécit ómnem Lúcanam ópsidésque abdoúcit.

1. *Lucius*] media producta, quia *Lucivus* pronuntiabant, ut *Gnaivus* pro *Gnaius* vel *Gnaeus*. Grot.

2. *patre*] ultima producta est positione. Grot. — *patre* aliunde insertum esse, et hoc loco et p. 657. et in Addendis edit. 3. p. 44 testatus est Niebuhrius.

prognatus] *s* litera non auditur. Nieb.

3. *quoius*] *s* litera non auditur. Nieb. *quoius* tres habet syllabas, mediam longam, ut in *illius*. Grot.

parisuma] accentus ultimam producit. Grot.

fuit] *i* eliditur Nieb.

4. *censor*-*fuit*] in utroque postrema longa propter accentum. Grot.

5. *Taurasiam*] *m* litera non auditur, nec in sequentibus vocabulis. Vertit locum Nieb. T. III. p. 424: „Er eroberte in Samnium Taurasia und Cesauna, unterwarf ganz Lucanien, und führte Geisseln von da weg. — Von Taurasia hatten augenscheinlich die campi Taurasini den Namen: Cesauna ist vermuthlich Diodors Teraunilia.“ (XX. 26.) Aliter Grot., qui annotabat: *Cisaunam* intelligi non potest, sed in *Cisalpnam* mutari debet, cum Taurasia, Taurinorum urbs, recte *Cisalpna* dicatur.

Samnio] postulat metrum, legi *Samniomque* atque porro *subiecit* et *abduxit*: praeterita enim intelliguntur, non praesentia. Grot.

2.

Cum hic lapis solus ex eodem Scipionum monumento iam dudum effossus esset (v. Gassendi Vita Peirescii lib. III. p. 96. edit. 1655), a Burmanno quoque in Anth. II. 43 coll. Add. T. I. p. 728. epigramma editum est. Dedi ex Inscriptt. Orellii n. 552. G. Bernhardy (Grundriss d. Röm. Litt. p. 70.) versuum accentus adiecit. — L. Scipio, filius Barbati, consul a. u. 496 fuit. — Niebuhrius idem mutata verborum robigine dedit H. R. T. I. p. 266.

Hunc únum plúrimi conséntiunt R(ománi)
duonórum optumum fúisse virúm.
Lúcium Scipiónem, filium Barbáti;
consúl, censor, aédilis, híc fuit apúd vos.
Hic cépit Córsicam, | Alériamque úrbem,
dédit tempestátibus aédem mérito.

G. F. Grotefendius p. 295:

Honc oínom plóirumé coséntiónt R*ománei*
Duonórom óptumóm fuíse viróm *virórom*,
Lucíom Scípiónem. Fíliós Barbáti,
Consól, censór, aidílis, híc fuét *apúd vos*.
Hec cépit Córsicám Aléri*ám*que úrbe*m*.
Dedét Tempéstatébus aidé*m* meretó *lubénter*.

L. Cornelio] i. e. Lucius Cornelius, Lucii filius, Scipio, aedilis, consul, censor. P. E. Viscontius, qui hanc inscriptionem epigrammati praefixit, nec sine causa, cum in alio eiusdem lapidis fragmento conservaretur.

1. *ploirume*] id non valet *plurimi*, ut Sirmondus explicat, sed fortassis adverbium est pro *maxime*. Grot.

Romani] sic supplere malo quam *Romae*, quamquam et hoc trisyllabum est (idque supplevit Sirmondus et Orellius). Grot.

2. *duonorum honc unom ploirumei consentiunt R..*
de uno ore optumom fuisse virom. Wakef. ad Lucret. I, 834.
optumo] *m* littera non auditur. Nieb.
viro] ut versus esset integer, *virom virorum* edidit Grot.

3. *filios*] i. e. filius. „Nescio an pro *filios filiom* melius legatur.“ Grot. Nec aliter iudicavit Nieb.

5. *Corsica*] ultima syllaba in *Corsicam* plene pronuntiatur. Nieb.

Aleria] *m* litera in *Aleriam* non auditur. Nieb. Aleriam, urbem Corsicae, excisam a L. Corn. Scipione scribit Florus l. II. c. 2.

6. *mereto*] ut versus esset integer, edidit *mereto lubenter* Grot.

3.

Ex Orellii Inscriptt. n. 558. coll. Descrizione delle antichità di Roma di Venuti ediz. terza 1824. T. II. p. 6. P. Corn. Scipio, Africani maioris filius, qui Africanum minorem adoptavit, orationes reliquit, ut in Fragmentis Oratorum Romanorum indicavi pag. 94.

G. F. Grotefendius l. l. p. 296. constituit numerum:

Quei ápicem, insígne Diális Fláminís gesístei,
Mors pérfecít *tua*, út *tibe* éssent ómnia brévia,
Honós, famá, virtúsque, glória âtque îngénium:
Quibús sei in lónga lícuisét tibe útier víta,
Facíle facteís superáses glóriám maiórum.
Quaré lubéns te in grémium, Scípio, recípit
Terrá, Publí, prognátum Públió, Cornéli.

Niebuhrius vero in Hist. Rom. Addend. ad T. I. p. 44.

Qui ápicem insígne Diális fláminis gessísti,
mors pérfecít tua ut éssent ómnia
brévia, honos, fáma, virtúsque,
glória atque ingeniúm, quibus
si in lónga licuísset tibi útier víta,
fácile factís superásses glóriam maiórum.
Quare lúbens te ín gremiúm Scipio récipit térra,
Publí, prognátum Publió Cornélio.

5. *fama*] ultima longa ante *v*. Grot.

5. *utier* bisyllabum. Grot.

6. *facteis* excidit ap. Orellium.

7. *recipit*] intelligitur *recepit*. Grot.

4.

Ex Orellii Inscriptt. n. 555. Hic Scipio filius Cn. Scipionis Hispali, consulis a. u. 578, esse fertur.

G. F. Grotefendius in Lat. Gr. p. 296 ordinavit versus:

Magnám sapiéntiám multásqüé virtútes
aetáte qüöm párva pósidét hoc sáxsum.
Quoieí vitá defécit, nón honós, honóre
is híc sitús, queí núnquam víctus ést virtútei.
Annós gnatús XX is *láusibús mandátus*,
ne quaíratís honórem, queí minus sít mand*átus*.

1. *multasque* quattuor syllabis constat: ultima longa est ante *v*. Grot.

2. *quom* bisyllabum est; praepositio *cum* intelligitur. G.
posidet] postrema accentu producitur. G.

3. *quoiei vita*] cum *vita* ultimam productam habeat, pro *quoiei* mal-

lem *quo is*, nempe *is vita defecit*, *non honos honore defecit*. G. Vennti aliter intellexit haec verba: *cui vita defecit, non honos. Honore is hic situs*. Nec aliter Zellius in Ferienschr. T. II. p. 189:

So viel Verstand und so viel mannigfache Tugend
In frühem Alter schliesset dieser Felsen in sich.
Ihm fehlte längres Leben, Ehre nicht; in Ehren
Liegt er in seinem Grab an Tugend unbesiegt.
Er zählte zwanzig Jahre, als sein Grablied tönte:
Darum fragt weiter nicht nach seinen Ehrenstellen.'

4. *virtutei*] i. e. virtute.

5. *is l... mandatus*] *is laudi est* censeo supplendum, ut laus honori opponatur. Viscontius nimis antique supplevit *lausis* i. e. lessui, lugubri lamentationi. Sed vox ista, modo sit latina, quartae debet esse declinationis, unde Grotefendius praetulit *lausibus*. Sed nostrum facilius est. Orellius. *is terreis mandatus* Ramshorn Lat. Gr. p. 1100.

6. *quairatis*] postrema accentu producitur. Grot.

minus] s litera non auditur.

m...] *mandatus* cuncti supplent.

5.

Anth. II. 54. ex Cicerone de Finib. II, 35, 116. „Non elogia monumentorum id significant? velut hoc ad portam: *Unum hunc plurimae consentiunt gentes, Populi primarium fuisse virum*". coll. Caton. mai. c. 17. „Apex est autem senectutis auctoritas. Quanta fuit in L. Caecilio Metello! quanta in Atilio Calatino! in quem illud elogium: *Unum hunc plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum*". Dedi locum ex emendatione Orellii coll. Niebuhrio H. R. T. I. p. 266.

1. *Honc oino*] *Heic situs, unei quoi plurimae consentiunt gentes, fuisse virum populei primariom* vulgo.

6.

Ex Livio V, 16. construxit G. F. Grotefendius Lat. Gr. p. 288.

7.

Ex Festo v. *Flaminius camillus*. pag. 69. ed. Lindemanni et Servio ad Virg. Ge. I, 101. Conf. Zellius in Ferienschrift. T. II. p. 207. „In dieser Stelle gibt ein Vater seinem Sohn über den Landbau Belehrung. Der Umstand, dass Festus keinen Verfasser des Gedichtes zu nennen weiss, so wie das Alter und der Inhalt des Gedichts können uns bestimmen, es dem Kreise der Volkspoesie beizuzählen, und so hätten wir uns also hier etwa eine Sammlung von Bauernregeln in Versen vorzustellen, wie sie auch unsere Bauern im Gedächtniss und in ihren Kalendern haben. Die Stelle heisst so:

Staub im Winter, Koth im Frühjahr
Giebt, Camillus, gutes Korn!".

8.

Carmen Saliare, quod ex Marinii libro *Gli Atti e monumenti de' Fratelli arvali, tabula XLI*, collato G. F. Grotefendio Lat. Gramm. T. II. p. 286. edidi. Id est: en nos, Lares, iuvate: nec luem, Mars, sinas incurrere in plures. Satiatus furore, siste lumen solis fervere. Advocate alterni Semones cunctos. En nos, Mars, iuva. Vertit carmen in vernaculum sermonem Zellius in Ferienschriften T. II. p. 110. Alias explicationes horum versuum v. in Hermanni Elem. D. Metr. p. 613. Ramshorn. Lat. Gr. p. 1100. [A. Grotefend. Gr. Lat. T. I. p. 166.]

9.

Extat apud Livium VI, 29. Versus constituit Niebuhrius H. R. T. II. p. 662.

10.

Extat apud Livium XL, 52. Versus composuit Hermannus in Elem. D. M. p. 616. Conf. Santen. ad Terentian. p. 178. Zellius l. l. p. 192.

11.

Liv. I, 26. Versus concinnare conatus est Niebuhrius H. R. T. I. p. 267. Sed mors viri immortalis naturam huiusce numeri quominus cognoscere liceat impedit. Blumius certe in libro suo de Romanorum historia hos esse versus dubitat, nec aliter iudicasse videtur Bernhardy Röm. Litt. p. 71.

12.

Anth. II. 219. Extat ap. Gellium I, 24. Hermannum secutus sum in Elem. p. 638. Bothius in Fragm. Poet. Lat. Scenic. P. I. p. 82. paulo aliter versus aptavit:

Mortales immortales flere si foret fas,
Divae Camoenae flerent Naevium poetam:
Ita, postquam (vel *postquam de*) est Orcino traditus thesauro,
Obliti Romae loquier sunt latina lingua.

4. *Romae loq. lat. lingua*] *Obliti sunt latina Romae loquier lingua.* Osannus Anal. Crit. p. 37. *Obliti sunt Romae lingua latina loquier.* G. F. Grotef. Lat. Gr. p. 102. *Romae loquier lingua Latina* vulgo. Alius V. D. legebat *Obliti sunt Romaè lin|guá latina loquier.*

13.

Ex Inscriptt. Orellii. T. I. p. 151.

2. *Corinto deleto*] legendum *Corintho deleta.*

3. *Ob hasce res*] hic versus longior est quam esse debet. Sufficeret enim aut: *Ob hasce res bene gestas voverat hanc aedem*, aut: *Ob hasce res quam in bello voverat hanc aedem.* Sed nihil mutandum arbitror, cum de modo horum versuum nihil adhuc certi statuere liceat.

14.

Apud Orosium IV, 1. p. 217. *Pyrrhus atrocitatem cladis, quam*

hoc bello exceperat, diis suis hominibusque testatus est; adfigens titulum in templo Tarentini Jovis, in quo haec scripsit etc. Conf. Niebuhrii Hist. R. T. III. p. 560. „Orosius hat dieses Epigramm in einer sehr alten lateinischen Uebersetzung erhalten, nämlich in zwey Saturnischen Versen, deren erster in sechs Füssen einen Hexameter anzudeuten sucht, der zweyte den kürzern Vers. Verfasser des griechischen Epigramms war vermuthlich Leonidas von Tarent, der Pyrrhus aus seiner unglücklichen Vaterstadt folgte, und die Inschriften auf seine letzten Siege dichtete. Orosius bezieht das Epigramm ausdrücklich auf die Schlacht von Heraklea; sonst lässt sich kaum begreifen, wie der epirotische König sich hier theilweise besiegt nennen konnte: es passt ohne Vergleich besser auf die Schlacht von Asculum: am eigentlichsten aber in die Zeit, welche er nach der Schlacht in der arusinischen Ebene noch zu Tarent verweilte." —

1. *antehac*] *antidhac* Niebuhrius correxit.

15.

Anth. I. 1. ex Apulcio de deo Socratis p. 121. ed. Oudend. et Martiano Capella l. I. p. 11. ed. a. 1577. — Hi versus Annalibus Ennii I, 162. sunt inserti pag. 34 ed. Lipsiens.

1. *Vesta Minerva*] *Juno, Vesta, Ceres, Diana, Minerva, Venus, Mars* vulgo. Hi duodecim dii, sex mares et totidem feminae, maiorum gentium dii sunt vel dii genitales. Conf. Bentl. ad Hor. Carm. Saec. 16.

16.

Anth. II. 44. Illud *Hic est ille situs* sumtum est ex Cicerone de legg. II, 22, 57: cetera apud Senecam in epist. 108 leguntur. Olim hoc epigramma in libris Ciceronis de Republica legebatur.

2. *quivit*] *quibit* vulgo

2. *operae*] pronunciandum est *oprae*, sed Ennius plene vocem scripsit. — *oprae* vulgo.

17.

Anth. II, 45. Duo versus priores apud Ciceronem in Tuscul. V, 17, 49. leguntur. Paulo variatus versus primus in Genethliaco Panegyrico Mamertini c. 16 invenitur. „*Quod ait ille Romani carminis primus auctor A sole exoriente adusque Maeotidas paludes* — —." Duo postremi versus in Ciceronis libris de republica olim legebantur, nunc a Seneca in epist. 108 et Lactantio in Institt. I, 18. afferuntur.

1. *supra Maeoti' p.*] Orientis terminus Pontus esse antiquitus credebatur, ut Bentleius ad Lucret. VI, 1106 annotat: inde a Ponto Occidens esse coepit, qui ab Ennio paludibus Maeotidibus significatur.

3. *si fas endo*] *si fas caedendo coelestia scandere quoiquam est* vulgo. *escendere cuiq.* sic A. Maius ad Cic. de rep. p. LIII. prob. Beiero in Jahnii Ann. liter. I. 1. p. 89. *escendere cuiquam est* Bunemannus: sed *est* languet.

18.

Anth. II. 216. Adferuntur hi senarii a Nonio Marcello ex Ennii lib. III. Satyrarum in *propinare* et *medullitus* p. 33 et 139 ed. Merceri.

19.

Anth. II. 217. apud Ciceronem in Tuscul. I, 15, 34.

1. *Enni imaginis*] si scribi liceret *Ennii imaginis* (sicuti Wakef. ad Lucret. I, 26. citat), versus nihil haberet offensionis. Sed multa eiusmodi exempla ex ipso Virgilio collegit Wagnerus in Quaestionibus Virgilianis XI. 3. T. IV. p. 420. Ramshorn Lat. Gr. p. 1073.

3. *nemo — faxit*] itidem leguntur in Cic. Tuscul. I, 49, 117. et Cat. Mai. c. 20, 73.

funera fletu] *funera fletum* Scalig. improb. Orellio in Add. ad Tuscul. p. 173. et ad Scholas Wolfianas p. 343. *funera lessum* Bentleius ad Cic. Tusc. I, 49.

4. *Cur? volito*] *cum volito* Scal.

20.

Anth. III. 168. *De leone uxoris suae* ms. Thu.

1. *Graecule*] *graegule* mss. Salm. Voss. *graecula* ms. Thu.

2. *tuae*] *meae* ms. Salm.

3. *forte*] *nocte* B.

4. *propria*] *patria* mss. Voss. Thu.

5. *sed*] *sed praetensa actus derisit retia quidam Curva rastuu hoc remanere domo Nam semel admisus derisit retia quidam Tequ tuis* etc. ms. Thu.

8. *cum iugulas*] versus est Martialis lib. III. 24: *Dum iugulas hircum, factus es ipse caper.*

948.

Anth. III. 169. *Ad lenonem comitiatum* ms. Divion. *ad lenonem comicianum* ms. Leid.

1. *nigri-panni*] chlamydem militum significat.

2. *dissere*] *desidere* mss. Salm. Leid.

3. *exiguone*] *exiguo nec* ms. Leid. Exiguus quaestus est as illa, quem pro cella solvebant meretrices. B.

4. *erat*] *eras* ms. Leid.

5. *populi pastum*] [sic corrige contextum] intelligit annonam militarem, quam erogare militibus duces et primipili debebant, sed qua eos fraudabant saepe, ut egeret miles et esuriret. B.

7. *vitandos*] *vitando* ms. Salm.

8. *valeas*] *caleas* ms. Salm. *caveas* Boltius Add. T. II. p. 41
tenso-pede] per celerem fugam et abitum e castris interpretatur Oudend.

12. *militiae utriusque comes*] a Constantino Comites utriusque militiae instituti sunt: cui enim dignitas magistri equitum simul atque peditum deferebatur, Comes utriusque militiae dictus est. — *utriusque come* ms. Leid.

949.

Anth. III. 170. *De Marte cinedo* mss. Salm. Voss. Thuan.

1. *nomen de*] ms. Salm. *Martis de me dictum* mss. Voss. Thu. *Martis te vel de nomine* vulgo.

3. *sors f. melior*] ms. Salm. *fors f. potius* Burm. *sors fuerat pridos* mss. Voss. Thu.

4. *aut natura*] Oudend. *et natura* vulgo.

5. *utroque*] *utrumque* mss. Voss. Thu. Legendum: *Nunc utroque cares, ignoti fabula sexus* vel *nunc utroque carens ignoti es fabula sexus.*

950.

Anth. III. 171. Hendecasyllabi.

2. *fremebat*] *frebemat* ms. Salm.

3. *quamvis*] *quavis* ms. Thuan.

4. *et vibret*] *et biberet parvum n. colore* mss. Voss. Thu.

5. *mullis*] *mulis* ms. Salm. Oudend. *pullis* B. Per *hirsutos mulos* intelligit Oudend. asinos.

6. *qui*] *quae possent pariles cithare iunctas* ms. Salm. *parile scilare iunctas* ms. Voss.

951.

Anth. III. 173.

1. *referas*] *referans* mss. Voss. Thuan. *referant* Heins.

3. *tempora*] ms. Salm. *pectora* vulgo.

5. *desine*] *desinet* ms. Thu.

6. *ferae*] *fore* mss. Voss. Thu. *fores* ms. Salm.

8. *quae*] *quem* ms. Salm.

952.

Anth. III. 175.

4. *extat*] ms. Divion. Schraderus Add. T. II. pag. 743. *errat* vulgo.

953.

Anth. III. 176.

3. *femineo eunuchus*] hiatus negligitur.

clune] Oudend. Add. T. II. p. 743. *crure* vulgo.

4. *dubites*] *dubitet* ms. Divion.

magis] deest in ms. Salm. a 1. m.

954.

Anth. III. 178.

1. *derivans*] *declinans* Klotz. Antib. p. 127. *deribans* ms. Thuan.

flexu] *sexu* ms. Thuan.

2. *lentum*] *lectum* ms. Thu. a 1. m.

4. *spondens*] ms. Salmasii et Salmasius ipse ad Hist. Aug. T. II. p. 843. *solertis pendet* ms. Thu. *sollerti pendet* vulgo. *solerti spondet* Pithoeus.

5. *grata*] *Graia* ms. Salm.

955.

Anth. III. 181.

2. *vulgi*] *vulgu* mss. Thuan. Voss.

3. *tactu cantuque*] *iactu cantuque* ms. Salm. *stat lactuque potens* ms. Thu.

5. *nam iura*] *nam lira aequali ambo moderamine libram* ms. Thu. *namque ita aequali ambo mod. libram atque oris socias* ms. Salm.

6. *socias*] *socia astemperat* ms. Thu.

8. *utrumne*] *utrumque canat an lyra sonet* ms. Salm. *atrum canat* *s lyraque sola sonet* ms. Thu.

956.

Anth. III. 179. *Funambulum* ms. Voss.

1. *stuppea*] *stupea* ms. Thu.

2. *quae*] *quem* mss. Salm. Voss. Thu. — mox *iubente* ms. Salm.

3. *quae*] *quam* mss. Voss. Salm. Thu. — mox *superius* ms. Salm. pro *super aërius*.

protendit] mss. Salm. Voss. Oudend. *praetendit* vulgo.

6. *lapsa e gracili*] *lapsa gracili* ms. Voss. *lapsa facili* ms. Salm.

8. *pinnis persecuisse*] mss. Salm. Thu. Voss. *pennis prosecuisse* vulgo. Wakef. ad Lucret. V, 210.

10. *funis*] *funus* ms. Thu.

957.

Anth. III. 182.

2. *pectore*] *pectine* Heinsius. — Mox *linguato pollice* valet facundo pollice, docto digito.

3. *percurrens*] ms. Divion. *decurrens* vulgo.

4. *possit*] ita scripsi. vulgo *posset*.

5. *cithara*] *citharae* mss. Salm. Div.

7. *repetitor*] Schraderus Add. T. I. pag. 745. *revocator* Oudend. Add. T. II. p. 744. *reparator* vulgo.

8. *cum flexit*] *conflexit* ms. Salm.

958.

Anth. III. 183. *De vasterna* ms. Thuan.

2. *radians latum* etc.] ms. Salm. *radians patulum g. utrumque* ms. Thu. *radians patulum g. utrimque* vulgo. *Latum latus radians* basternae vocat, quod specularibus basternae latera essent clausa. Salmasius ad Hist. Aug. T. I. pag. 846.

5. *ne*] *nec* ms. Thu.

6. *fuscetur*] Symmachus ep. I. 34. *Quem ad hoc aevi nulla actuum culpa fuscavit* i. e. dedecoravit.

marita] ms. Salm. et Thu. *matrona* vulgo.

959.

Anth. III. 184.

1. *in spatio Veneris*] i. e. in circo Veneris.

4. *et velut in*] *et veluti in* Wakefield. ad Lucret. I, 493.

5. *haud*] *aut* mss. Salm. Leid.

tecta] *stricta* Wakefield. i. e. *ἐληλαμένα*.

6. *solum*] *sola* mss. Salm. Leid.

8. *nec sibi*] *hae sibi congressi vir nocet an mulier* ms. Salm.

9. *sed habent*] *sed dant* mss. Salm. Leid.

10. *organa*] fistulae. Salmasius ad Hist. Aug. T. I. p. 179. — Sed Reiskius organa quae hodie dicuntur interpretatur. Add. T. I. p. 745.

960.

Anth. III. 185.

1. *conducere*] *conduce* ms. Thu.

5. *gyros*] Heinsius. *guirios* vulgo. *guirior* ms. Voss.

6. *candentis*] *cadentis* ms. Thu. *cum dentis quadrem unus habere* ms. Voss.

7. *Cererem*] Schrader. *Cerere* ms. Thu. *Cereris* vulgo.
patiere] *paterere* ms. Voss.

961.

Anth. III. 186.

5. *quadrupia*] corruptum.

7. *molli, tergumque*] Piersonus Add. T. II. pag. 744. — *amplexu molitur dumque* ms. Salm. *amplexu mollitur dumque* ms. Leid. *hanc fovet amplexu molitor, caudamque caballae* Oudend. *amplexu blanditur dumque* ms. Divion. vulgo, unde idem Piersonus *hanc fovet amplexu blando, tergumque caballae* excogitavit.

8. *assidue*] *adsiduo* Oudend.

9. *Cressa*] Pasiphae. — *gressa* mss. Salm. Leid. *Cresse* Heins.

11. *flammis*] *flammae* B.

962.

Anth. III. 187. Hendecasyllabi.

3. *lares virentes*] Oudend. Schrader. Add. T. I. pag. 745. Iunge *palmas virentes* ut in Iuvenal. sat. VII, 118. *virides palmae.* — *capiunt causae virentes* ms. Divion. *capiunt lares iutenses* ms. Salm. vulgo.

4. *athla*] *atla* ms. Salm. *atra* ms. Div.

13. *solitum*] *sonitum* ms. Salm. *sobitum movere causas* ms. Divion.
caulas] caulae sunt cancelli tribunales, ubi sunt advocati.

14. *subantis*] primus pes est iambus. *susantis* ms. Salm. *subare* prurire in libidinem.

963.

Anth. III. 188.

6. *incepto*] *incepto puerum reddit Ipocraten* ms. Salm. *incepto puerum rededit Ipocraten* ms. Leid. Discipulus medici duxit equum, quo doctor vehi solitus erat per publicum, atque ita factus est Hippocrates. Piersonus Add. T. II. pag. 744. *incepto* i. e. durch den ersten Versuch. — *in coepto puerum reddidit Harpocratem* B. Sed lusus est in nomine Hippocratis, qui non solum medicorum principem, sed, si etymon spectas, eum significat, qui equum tenet.

964.

Anth. III. 191.

2. *edat*] *alat* ms. Voss.

965.

Anth. III. 192. *Quod non vera (severa* mg.) *carmina scribat.* ms. Scal. Ruhnkenius id carmen unum omnium venustissimum esse iudicat.

3. *tumidis-capillis*] poeta triplicem comarum cultum Arethusae celebrat. Tumidi capilli iidem sunt, qui ab Ovidio in A. A. III, 145. laudantur. *Huic decet inflatos laxe iacuisse capillos,*
illa sit adstrictis impedienda comis. Sic B. ad T. II. p. 482. *nitidis capillis* Schrader. *tumidis papillis* Ruhnkenius ad Rutilium p. 258. elegantissime.

5. *et-pulsans*] *ut-pulset* B. Ruhnken.

8. *ut*] B. Ruhnk. *et* vulgo.

9. *dulces-tabellas*] *ductus tabellae* Ruhnk. *doctas tabellas* B.

10. *lateri*] Toupius v. Praef. edit. Angl. Opuscul. Ruhnkenii pag. XXXVIII. *lecto* vulgo. *telo* Ruhnkenius.

14. *severa*] *sonora* ms. Scal.

966.

Anth. III. 193. *Excussato sihoris materiae* ms. Scal.

8. *vulnere*] *funere* Wakef. ad Lucret. III, 894.

10. *tutos-lacus*] *tuto lacu* Francius.

967.

Anth. III. 194.

2. *videor*] *videar* Francius.

968.

Anth. III. 195.

969.

Anth. III. 196. *De silentio amoris* ms. Scal.

1. *iuratum*] *iratum* ms. Scal.

970.

Anth. III. 198. *De zelotypo* ms. Scal.

4. *fueris*] *fuerint* Burm.

971.

Anth. III. 199.

2. *arte decente*] *dispositas parte decente* ms. Voss.

6. *se det*] i. e. cultu neglecto ad me veniat amica mea. *non amo neglectam, mihi si quae comit amica sed et ornate* ms. Scal. *sedet ornate* ms. Voss. *sed quae et inornata simplicitate valet.* Scaliger. *Scita et inornata simplicitate valet.* Bondam. Var. Lectt. p. 256. — *Et comtos semper cultus unguentaque semper Mollia sollicita promta videre manu, Non amo: neglectim, mihi se quae comit, amica Se det, inornata simplicitate valens.* Wakefield. ad Lucret. I, 45. — *neglectim mihi se quae comit amica, haec et inornata s. valet,* vulgo.

7. *cures*] *curet* Heins.

8. *et coram*] corruptum. *sed roseam faciem: mel habet illa suum.* Bondam. *at decorant: facies mel habet illa suum.* Iacobs. Spec. Emend. p. 82. — *me coram: facies mel habet illa suum.* Heyn. ap. Iacobs. *nec coram faciem me lavet illa suam.* Heins. Oudend. Add. T. II. p. 745. *nec cura faciem: mel habet illa suum.* Scaliger. i. e. nec venustatem faciei fuco exornes.

suum] *suam* mss. Scal. Voss.

972.

Anth. III. 200.

5. *multae*] *natae* Tollius. Construe: Multae deliciae ex tempore, ut subito crevere, melius cedere solent quam scriptae. Viele Genüsse fallen aus dem Stegreif besser aus als diejenigen, welche man erst in Briefen verabredet hat.

ex] *et* ms. Scal.

973.

Anth. III. 201. Hendecasyllabi.

7. *deprensa*] *deprensa melius potes potiri.* Scaliger.

974.

Anth. III. 202.

2. *nunc*] *num meminisse mei?* Lachmannus ad Propert. I, 13. p. 54.

3. *hic quis*] *hem, quis* Lachm. l. l.

5. *non dubie*] *nunc dubie* ms. Scal. *non dubie loquitur me a Delia* Scalig. in Catal. p. 202.

13. *gestare*] *garrire* Lachmannus.

975.

Anth. III. 203.

6. *teret*] Pontanus. *tenet* vulgo.

8. *fac*] *fas* Schrader. Add. T. II. p. 745.

976.

Anth. III. 204.

1. *venusta*] B. *vetusta* vulgo.

2. *redde vicem*] Fateor, te esse formosam, divitem etc. Omnia fatebor; sed tu quoque fatere, quae ego scire cupio. Nempe dico, te parum castam esse. Tune negas? Iterum ego quoque falsa esse dico, quae modo fassus sum. Quare tu, ut ea retineas, dic potius: semel tantummodo etc. Klotz. Antib. p. 128.

4. *nego*] Tollius. Klotz. *nega* vulgo.

7. *illud*] construe: *sed illud, quod non fecit I., hoc facitis.*

977.

Anth. III. 205.

2. *victa*] *vincta* Heins. Hand. ad Stat. Silv. II, 242.

3. *prensat*] vel *prendit* Oudend. Add. T. II. p. 646. *prensum* vulgo.

13. *paveo somnumque torumque*] *careo somnoque toroque* Schrader. Add. T. II. p. 746.

14. *et sequor*] Omnes ceteri homines securi dormiunt, ego solus iugum Cupidinis fero.

978.

Anth. III. 206.

1. *te vigilans*] ex Ovid. Heroid. XVI, 99:

Te vigilans oculis, animo te nocte videbam,
Lumina cum placido vincta sopore iacent.

sic Hand. l. l. non *victa*.

2. *victa*] *vincta* Hand. ad Statii Silv. II, 242.

solo] *somno* Cannegieter. Add. T. II. p. 746.

3. *me tecum*] *te mecum* Schrader. Add. T. II. p. 746.

979.

Anth. III. 207. Inscriptionem ex mss. Salm. Thuan. dedi. — *De malis aureis* ms. Voss.

3. *putem*] *putes* Oudend. Add. T. II. p. 746.

magis] construe: *omnia grata putem, sed, si ipsa venires, magis ornares donum tuum.*

4. *donum*] *domum* ms. Thu.

5. *adportes*] *exportes* mss. Voss. Thu.

6. *tristis-sapor*] Heins. *tristia* vulgo. *tristicia* mss. Salm. Voss.

7. *at*] *aut* Heins. *et si forte dissimulas* ms. Thu. *et si forte dissimula* ms. Salm.

8. *oscula cum pomis*] *os quali compremis multe vorabo* ms. Bineti. *Et si forte dissimula multum m. c. v. Osque ledis morsu mitte* ms. Salm. *osque ledis morsu mitte.* ms. Voss. *oscula de morsu mitte* Heins. *osque levi morsu mitte.* Cannegieter. Add. T. II. p. 746.; verum, quid sit illud *que*, non intelligo.

980.

Anth. III. 208.

1. *celeres*] *celerestio tardare* mss. Thu. Voss. *celeres tardare* omisso *pretio* ms. Salm.

2. *Phryge*] *fryga* mss. Thu. Voss.

3. *ingenuo*] *ingenio* mss. Salm. Voss. Thu.

981.

Anth. III. 209. Mala Matiana nomen habent a C. Matio, mimiamborum scriptore, qui de re rustica libros confecit. De hoc viro in praefatione dixi.

1. *Veneri*] i. e. talibus pomis gratiam formae suae accepit Venus, cum a Paride ceteris deabus praeferebatur.

2. *sacrum-nemus*] Mala Matiana similia sunt illis, quae in hortis Hesperidum vel in sacro Hesperidum nemore ab angue custodita, et occiso custode ab Hercule ablata erant.

perdidit] *prodidit* ms. Thuan.

982.

Anth. III. 210.

1. *tenuit discordia mensam*] ms. Salm. Poeta de malo Eridis loquitur. Eris, quae Thetidis nuptiis invitata non erat, talibus pomis inter deos litem movit. *His contemta deum genuit discordia mensa* vulgo. *deûm gemuit* Oudend.

2. *Briseida*] nominativum esse pro *Briseis* dicit Burmannus. Sed Briseidos quae sit cum malo Paridis coniunctio, quamve urbem suam prodiderit, non video. Latet ergo vitium in *Briseida*, nec tamen *Priamida* (Paris) verum esse potest, quia penultima alias brevis est.

983.

Anth. III. 213. Petronii esse opinor.

3. *marmore si Pario*] Schraderus. *marmore Sicanio* vulgo.

984.

Anth. III. 214.

2. *teneras officiosa*] i. e. teneris manibus laboriosa.

3. *protecta*] Schrader. Add. T. II. p. 746. *praecincta* Burm. *producta* vulgo. *praeducta* Heins.

4. *utrumque*] referendum est ad strophium et papillas, quae ornant pectus. B.

985.

Anth. III. 215.

3. *ponit*] an *ponunt*?

986.

Anth. III. 216.

1. *rosa Tyrii*] *rosa e Tyrii* vel *rosam e Tyrii* Oudend. Add. T. II. p. 746.; neutra coniecturarum Oudend. necessaria.

987.

Anth. III. 217. Hendecasyllabi. — Macrobius Sat. II, 2. Demosthenes excitatus ad Laidos famam, cuius formam tunc Graecia mirabatur, accessit, ut et ipse famoso amore potiretur; qui ubi dimidium talentum unius pretium noctis audivit, discessit hoc dicto: *οὐκ ἀγοράζω τοσούτου μεταvοῆσαι*. — Binetus epigramma in veteri lexico quodam invenit sub nomine Martialis, unde Scriverius reiecit in Appendicem Martialis. Ego Petronio potius tribuerim.

988.

Anth. III. 218.

4. *Iulia missa tuis*] *missa, puella, tuis.* ms. Perotti.

989.

Anth. III. 219. Wernsdorfius Po. L. min. T. II. pag. 390 et 455 Valerio Catoni tribuendum putabat. Verum id carmen vetustum non esse, Aug. Ferd. Naekius in Indice Praelectt. Universitatis Bonn. a. 1828. eleganter demonstravit. Ex verbis sive ex sermone, inquit, cuius in poetis etiam metrum pars est, si quid non antiquum, cognoscitur. Quae semper tutissima omnium manebit demonstratio. Documento esto *Lyricum*, quod dicitur, *ad Lydiam*. Quod cum Iul. Caesar Scaliger dudum quo loco habendum esset, verbo monuisset, Iosephus autem Scaliger et Pithoeus sapienter praeterissent, recentior aetas rursus pro antiquo habere, *delicatissimum* et *valde elegans* appellare, unus, cum olim Cornelio adscriptum fuisset Gallo, Valerio Catoni tribuere, quod etiam magis incredibile, coepit. Et sane, si quis cum viris doctis, argumento, quod *delicatum* esse concedo, carminis delenitus, neque in sententiis haereat, quarum tamen ad meum sensum non antiqua conformatio est, et quae insunt prava latinitate et prorsus barbara, qualia versu 18 et 24 leguntur, aut excuset aut tollenda esse emendatione contendat: quid ei faciamus? Nempe unum faciemus. Rationem opponemus metricam: in quam si accurate inquisitum a quoquam fuisset, dudum haud dubie inter omnes conveniret, carmen origine esse longe recentissima. Est carmen numero, si hic numerus dici queat, dactylico scriptum, sed hac conditione vel potius hac licentia, nulla ut positionis ratio habita sit, elisio ut nunc observetur, quod versu 23 factum est, nunc negligatur, ut v. 4, 15., denique ut versus praeter dactylum non solum spondeum, sed etiam pro dactylo anapaestum, tribrachum, creticum, molossum, bacchium, itidemque pro spondeo quemvis pedem bisyllabum admittat. Audio: quid, malum, hoc metri est? Neque repugno, si quis metrum hoc esse neget. Sunt versus ad accentum facti, politici, sive rhythmi vulgares, quo de genere Santenius ad Terentianum et nuper unum alterumque exemplum I. D. Fuss. dissert. de versibus homoeoteleutis edit. alt. illustravit. Nostrum carmen non memini a quoquam esse ad hanc disputationem adhibitum. Itaque rhythmi ita procedunt *Lýdia bélla puélla cándida, Áut expolítum ébur 'Indicum Sic me destituis iám semimórtuum.* Leges sibi poeta has scripsit, ut caesuram faceret in fine pedis secundi excepto versu 1., tum ut primus in versu pes et quartus semper essent trisyllabi: qua tamen in re cavendum est, ne quis ex his *Albamque*, *Productum*, *Perfusas*, *Compresso*, *Candore et* dactylos efficere pronuntiando conetur, quod repugnaret usitatae pronuntiationi latinae. Est ibi potius secunda syllaba acuenda, ut quasi anacrusis quaedam existat hunc in modum *Perfúsas rúbro púrpurae Týriae* et sic reliqua. Quem etiam in modum accipiendus versus 9, non sic *Pánde puélla* || *stéllatos óculos*, sed sic

Pánde puélla || *stellátos óculos.* Et sic, puto, versus 6. *Flávos lucéntes, ut aúrum nitidum.* Praeterea totum carmen in duas partes dividitur, quarum posterior a. v. 17. aut a v. 18. incipit, et strophae describi sex possunt, quarum una quinque, reliquae versibus constabunt quatuor. Iam quam recens sit carmen, non quaeram cupidius. Repperi illud ipse in codice membran., qui inter versum 24 et 25 hunc insertum habebat tamquam novum versiculum *Molliter ac lepide sanet.* Quae exclamatio est exultantis inter legendum tenebrionis, adscripta in margine, postea in carmen illata ipsum. — Haec Naekius. Porro Niebuhrius (in Museo Rhenano III. Fasc. I. p. 1599.) saeculo quinto decimo originem carminis vindicavit. Quod idem Naekius eodem loco (p. 9.) ex ea re confirmare studuit, quod omnes codices, in quibus carmen legatur, versus finem demum saeculi quinti decimi scripti sint. Sed ne sic quidem Niebuhrio prorsus assentiri audet, praesertim cum carmina vulgari rhythmo composita serioribus temporibus non amplius reperiantur, in medio autem aevo inde ab Augustini aetate plurima huius generis occurrant. Sed non Naekii solum doctissimam disputationem, sed ea quoque, quae de hoc carmine amicissimus Voegilinus ad me scripserat, huc inserenda existimavi.

Metrica huius carminis, inquit ille, ratio est medii aevi, vulgaris sive monachalis, quae est recentiorum eadem linguarum. Caret ea quantitatis s. prosodiae distinctione nec nisi accentu constituitur, atque elisionem negligit. Nota sunt huius rationis exempla veteres illi christiani hymni, v. c. „Stabat mater dolorosa Iuxta crucem lacrimosa Dum pendebat filius: Cuius animam dolentem Contristatam ac gementem Pertransibat gladius:“ quae hoc praebent versuum schema:

— ∪ — ∪ — ∪ — ∪ || — ∪ — ∪ — ∪ — ∪ ||
|| — ∪ — ∪ — ∪ — || — ∪ — ∪ — ∪ — ∪ || — ∪ — ∪ — ∪ — ∪ ||
— ∪ — ∪ — ∪

quum antiqua ex prosodia ita *ἀμέτρως* procederent:

— — — — ∪ — — ∪ || — — ∪ — ∪ ∪ — ∪ || — — — — — — ∪ ⏒ ||
∪ ∪ ∪ ∪ — ∪ — — — || — — — — — ∪ — — || — — — — — ∪ ∪ —

Nostrum carmen hac insuper utitur licentia, ut pro dactylis, qui est primarius in eo numerus, etiam trochaeos (sive malis spondeos dicere; sunt enim duae syllabae, quarum prior ictum habet, nihil vero quantitate differunt) adhibeat. Quin etiam quater vss. 8, 12, 19, 23. primo pedi, quum sit trochaeus, anacrusis addita est. (Nisi quis potius ita statuat, ubique singulis verbis incidendum esse, et hanc anacrusin saepius adesse, ut exhibet schema alterum.) Sed verum est, pedum omnino nullam esse rationem, solius contra rhythmi. Qui est descendens quem dicimus: incipit enim versus arsi, quae ter recurrit, ut cuiusvis versus quatuor sint arses: quamque autem arsin sequitur thesis modo unius modo duarum syllabarum. Quatuor quos indicavi versus, 8, 12, 19, 23. ante primam arsin anacrusin sive thesin insuper addunt.

(c) — ∪∪ — ∪∪ — ∪∪ — ∪∪
∪ ∪ ∪ ∪

Videmus autem secundae arsi plerumque, saepius etiam tertiae unam tantum syllabam adiungi: quarta semper duas post se habet syllabas, prima item praeter illos anacruseos versus.

Unde hoc fit schema:

— ∪∪ — ∪ — ∪ — ∪∪
∪ — ∪ ∪∪ ∪∪

15. *animi*] *animae* B.

18. *gemipomas*] *gemellulas* B. *gemipomae papillae* nove dictum pro papillis, quae geminorum pomorum speciem habent.

22. *conde*] *pande* Schrader. Add. T. II. p. 746.

990.

Carmen recepi, quod Niebuhrius ediderat in Museo Rhen. III. F. I. p. 7., praesertim cum eodem genere rhythmorum, quo praecedens, sit compositum. Niebuhrius hoc carmen ecclesiasticum seculum septimum superare statuit. Pedibus quatuor singuli versus constant et post secundum pedem habent caesuram. In eo tantum hic hymnus et carmen quod sequitur, a Lyrico ad Lydiam differunt, quod omnes pedes trisyllabi sunt, in illo autem bisyllabis variantur trisyllabi. Praeterea alliteratio fit finitione vocabulorum tum in hoc, tum in illo, quod sequitur, carmine.

991.

Carmen hoc idem Niebuhrius ibidem edidit. In hoc quoque vestigia poeseos rusticae extant.

992.

Anth. III. 220. Hendecasyllabi. Inter fragmenta Petronii vulgo legitur sine codicum auctoritate.

8. *rubor*] i. e. pudor.

993.

Anth. III. 221. Hendecasyllabi. Inter fragmenta Petronii vulgo extat.

994.

Anth. III. 223.

1. *dum cretam sumit* etc.] mss. Voss. et Scaligeran. —
dum sumit cretam in faciem Sertoria, cretam
perdidit illa simul, perdidit et faciem. vulgo.

2. *ut*] Scalig. et Heins. addidit. omitt. in mss. Voss. et Scalig.

995.

Anth. III. 227.

1. *Sybari*] *Cypare* ms. Scalig.

5. *dum stupet*] *dum tumet* Lachmannus ad Propert. I, 14. p. 58., qui *tumere* de iuventutis flore intelligit.

996.

Anth. III. 228.

997.

Anth. III. 232. Wernsdorf. Poet. T. II. p. 385 et 446. Rufino grammatico, qui de metris scripsit, vindicatur a I. Douza, Wernsdorfio, Iacobsio in Catalogo Poetarum Anthologiae Graecae p. 948.

9. *Proetidas*] *Proetides* vulgo: illud ap. Bentleium in prooemio Horatii.

11. *in fronte elevat*] Bentlei. *in frontem levat* vulgo.

14. *cornibus*] *floribus* vulgo, errore typograph.

17. *iliceisque-tabulis*] Wernsdorf. *inclitisque gaudet corpus includi stabulis* vulgo. Conf. Anth. V. 153, 13.

18. *effigians*] Oudend. *se faciens* vulgo. *efficiens* Bentlei.

998.

Anth. III. 233. Binetus Claudiano adscribit, Eustathius vero Swartius lib. I. Analect. c. 4. recentioris aevi indicavit, quam ut Claudiano tribuatur.

2. *nescius esse pater*] non novit vim ac dignitatem nominis paterni.

4. *se pietas umbram*] *seque umbram pietas* Douza.

7. *Cynthia*] Barth. et Swartius. Sol a sorore Luna edocetur omnia, quae clam noctu fiunt. *Cincia* vulgo.

8. *furta*] Douza. *digna* vulgo.

9. *qui pater*] An. *Qui puer est, hic filius est?* Idem filius atque puer habetur.

999.

Anth. III. 234.

3. *an*] B. *at* vulgo.

1000.

Anth. III. 235.

1. *hunc*] *huc* B.

1001.

Anth. III. 236.

1002.

Anth. III. 237.

1003.

Anth. III. 238.

1. *Subrides*] Nicolaus Bondtius. *Sofrides* vulgo.

1004.

Anth. III. 239. ex Gellio XIX, 11. Iambici dimetri.

5. *animula aegra*] mss. Gellii, hiatu relicto. *anima tunc aegra et saucia* vulgo. *anima aegra amore et saucia* ap. Macrobium Sat. II, 2.

7. *rictumque*] mss. Gellii. *orisque rictum pervium* vulgo.

12. *coetu*] *coitu* vulgo.

16. *ad me*] i. e. ex mea parte. Hand. ad Tursell. I. p. 107.

1005.

Anth. III. 260. Hoc epithalamium ex epithalamiis centum poetarum superesse opinor.

4. *quae regit*] *quae tegit Idalium quae Gnidos alma tegit* mss. Salm. Leid., nisi quod hic *que* pro *quae* habet.

1006.

Anth. III. 262. Conf. Iuvenal. Sat. VI, 58 sqq.

1007.

Anth. III. 271.

1008.

Anth. IV. 111. ubi inter epitaphia male est collocatum. Secundum, quod ibi additur, distichon errore cum illo coniunctum est, idemque Burmannus lib. I. ep. 48. iam ediderat.

1009.

Anth. III. 272.

1. *colla*] Med. Wakker. Amoenitatt. Litt. p. 68. *crura* vulgo.

2. *maneat*] *caleat* Med. Wakker. *tumeat* Lachmannus ad Propert. I, 14. p. 59.

5. *sapphyrus*] alii poetae mediam producunt syllabam atque feminini generis esse volunt.

1010.

Anth. III. 273.

5. *carduus*] bisyllabum pronunciandum. Salm. ad Hist. Aug. T. I. p. 564.

rure] Schrader. Add. T. II. p. 749. *iure* vulgo.

6. *vana*] i. e. die stolzen Lilien.

1011.

Anth. III. 274. Hoc epigramma in mentulam delendum erat. Recens enim esse, pro certo habeo.

4. *decus*] Cannegieter. Add. T. II. p. 749. *deos* vulgo.

6. *annorum*] Schrader. Piersonus Add. T. II. pag. 749. *amorum* vulgo.

9. *iugulato-hoste*] *iugulata-hoste* Oudend. Add. l. l. et v. 12. *hostes suae*.

1012.

Anth. III. 277. Inscribitur *de die frigido.*

1. *prandia*] *grandia* ms. Divion.

4. *iungat calidum*] *iungat-lateri* Piersonus Add. T. II. p. 750.

1013.

Anth. III. 278.

2. *finxit*] ms. Divion. Schrader. Add. T. II. p. 750. *pinxit* vulgo.

5. *pulset-crucient*] Oudend. *pulsat-cruciant* vulgo. Fortasse *pungat* scribendum, Piersonus coni. *pungit* Add. T. II. pag. 750. *pulsit-cruciant* mss. Salm. Div. *pulsit-crucient* ms. Leid.

6. *es*] *est* mss. Salm. Leid.

1014.

Anth. III. 279.

1. *Quicquid agis*] ms. Divion. *Quidquid agit formosa V., si nescit amanti etc.* Oudend. *Dic quid agis* vulgo.

nescis] secunda brevi.

4. *posito*] *positum* mss. Salm. Leid. a 1 m.

5. *haec*] *nec* ms. Thu. mox *vices.*

6. *quia*] *qui* ms. Leid.

1015.

Anth. III. 280.

1. *redit*] *reddit* ms. Thu.

3. *formosa facile penetratur*] ultima in *formosa* arsi producitur, ut in v. sequ. *adulterium et. penetravit* ms. Salm. *formosa facie penetratur*, virgo scilicet, vel *nam si formosae facies penetrantur amore.* Oudend. *facili* ms. Thu.

4. *fecit*] *facit* mss. Salm. Thu.

adulterium] ultima producitur arsi, nec eliditur ante vocalem.

1016.

Anth. III. 284.

1017.

Anth. III. 285.

1. *habita*] Burm. *habitat* vulgo.

1018.

Anth. III. 286.

1. *domino*] *dominae* Oudend.

1019.

Anth. III. 287.

1020.

Anth. III. 288. Wernsdorf. P. L. Min. T. VII. p. 121.

1. *O quales*] *aequales* ms. Div.

2. *aetas*] *aestas* mss. Salm. Leid.

3. *tecta*] Oudend. in codd. lacuna est. Prima rosa adhuc latens ducebat corymbos.

5. *calathi*] *galati* ms. Salm.

6. *nituit mutato tegmine*] *micuit* ms. Div. *germine* mss. Salm. Leid. Div. *mutati* vel *nudati germine floris*. Oudend.

7. *levat*] *lebet* mss. Salm. Leid.

8. *huic dum*] *sic dum* mss. Salm. Div. Leid.

exsinuatur] ms. Div. Ruhnkenius in praef. ad Schelleri Lex. s. v. *exvelo*. Hic versus ex Propertio III. 13, 3. expressus est: *ut mihi praetextae pudor exsinuatus amictu*. — *extenuatur* vulgo.

9. *ne*] *nec* ms. Leid.

sic] ms. Div. — in mss. Salm. Leid. lacuna est, sed in margine additur *cito*, quod vulgo legitur.

1021.

Anth. III. 289.

5. *sanguis*] *anguis* ms. Leid.

1022.

Anth. III. 290. Wernsdorf. P. L. Min. T. VII. p. 123.

1. *circumdatus*] *circumsatus* Wakef. ad Lucret. III, 11. — mox v. 4. *limavit* pro *libavit*.

3. *dum puer hic*] *hic puer dum* ms. Salm.

5. *marmoreos*] *marmoreus* ms. Leid.

6. *sanguineamque*] *sanguineaque manu* ms. Salm.

7. *pervenit*] mss. Salm. Leid. Div. *proruit* vulgo.

9. *pugnare*] ms. Div. et margo mss. Salm. Leid. *pugnant* ms. Salm. *pungunt* vulgo.

latentibus] *nocentibus* ms. Div. mox *gerant* mss. Salm. Leid. et *floris est color* ms. Leid.

1023.

Anth. III. 292. Wernsdorf. P. L. Min. T. VII. p. 114. Legitur etiam inter eidyllia Ausonii pag. 520. ed. Toll. — *Publii Virgilii Maronis de rosis nascentibus ecloga* mss. Voss. Petav. *Publius Maro de vere novo ad amasiam* ms. Leid.

8. *aut*] *at* ms. Leid.

9. *patulis teretes*] *teretes patulis* mss. Leid.

colludere] *conducere* mss. Leid. *concludere* ms. Petav. Voss. Thu.

10. *tunc*] *nunc* Wernsdorf. Deest hic versus in mss. Petav. Voss. Thu.

11. *candere*] *gaudere* mss. Petav. Voss. Thu.

13. *rara*] *cara* Oudend. Add. T. II. p. 751.

canebat] *candebat* ms. Leid. *clara pruinosis nidebat gemm.* Wakefield. ad Lucret. II, 501.

14. *ad primi*] *ad primum radio* ms. Leid. *ad primi radios inter aura die.* mss. Voss. Thu.

17. *ros unus*] *rosunt* ms. Thu. *ros um* mss. Petav. Voss.

18. *una*] om. ms. Thu.

19. *forsan*] *fosan et unus* ms. Thu.

20. *difflatur*] *diffle spirant* ms. Thu. — B. hoc distichon pro suspecto habet. *Diffluit; exspirat* Tollius.

21. *Paphie*] *Paphiae* ms. Thu.

23. *nascentia*] *nectentia* ms. Voss.

24. *disparibus*] ms. Leid. Wernsd. *gramina disparibus* ms. Iunianus. *comparibus* vulgo.

25. *angusto*] *augusto* Heins.

26. *hanc tenui*] *hactenus in folio* mss. Thu. Voss.

27. *haec aperit*] *haec aperit primae florens praeludia formae* ms. Leid. — *prima* mss. Petav. Voss.

28. *absolvens*] *evolvens* Heins.

29. *exsinuabat*] *exuuiabat* ms. Leid.

37. *ecce et*] *quanto defluxit* ms. Leid. *quam cito* Oudend.

rutili] *rivuli* ms. Voss. *rubidi* Oudend.

40. *conficit una*] *conficit ipsa* ms. Thu.

41. *florum est*] om. ms. Thu.

44. *premit*] *brevis* ms. Thu.

45. *rutilus*] *rutilis* ms. Thu.

48. *succedens*] *succedendo* Piersonus Add. T. II. p. 751.

49. *flos*] *ros* ms. Iunianus.

1024.

Anth. V. 1. Librum quintum quarto praeponendum duxi, cum in utroque eiusdem generis carmina inveniantur; quartus vero, qui sepulcrales inscriptiones continet, agmen ducat.

2. *ac horrentia*] deest *ac* in ms. Thu., ita ut haec particula non a codd., sed ab ipso Pithoeo originem ducere videatur.

3. *diffudit*] *diffundit* ms. Thu.

7. *de*] deest in ms. Thu.

8. *efflant e*] *efflantes* Heins.

9. *rutiloque ubi*] Heins. Wakefield. ad Lucret. III, 742. — *rutilo qui fulget* vulgo.

fulget] *fulgit* ms. Thu.

10. *aetherios*] *aethereos* ms. Thu.

11. *hinc*] *haec* ms. Thu.

12. *alitis hinc*] corruptum. *armenta simul ceu semine rerum, Hinc avis, hinc pecudes* Heins. *armenta simul semenque ferarum Hinc, alit;*

hinc pecudum vivit genus. Wakefield. An *Alites, hinc pecudum vivit genus omne natantum?* Primus pes amphimacer, ut in epigr. Sedulii, 274. v. 7 et 8; *Supplices hoc famuli.*

15. *quaecumque*] *quicumque* ms. Thu.

tamen] *ante* Heins. An *olim?*

20. *hic*] *hac* ms. Thu.

22. *aureus*] *aureus axis inest curru* B.

23. *imitatur*] *emitatur* ms. Thu. *Adsumpto fulgens imitatur lumine Phoebe* B.

24. *orbe*] *orbem* ms. Thu.

29. *que docet*] *idque docet Phoenix, busti reparata favillis.* Heins.

30. *vivescere*] *viviscere* ms. Thu.

33. *surgit*] *surgiatque deficit* ms. Thu.

1025.

Anth. V. 1, 35—58. Hoc epigramma cum in ms. Thuan. tum in Burmanniana editione antecedenti coniunctum est.

2. *vernantur*] *vernantem* Heins.

4. *numinis*] *nominis* ms. Thu.

5. *dividis*] *dividit* B.

7. *Liber, Sol*] *Liber et Sol arma* ms. Thu.

8. *ribice*] *requies* B.

9. *cursu*] *curru* Heins.

10. *Hyperboreo*] *Soli et per boreo fulgit* ms. Thu. *Sol Hyperionis fulget maturus in ortu* B.

13. *mergenti servat*] B. *merenti servit* vulgo. — mox *maris undique leporem* ms. Thu.

14. *annus*] *annos errora* ms. Thu.

15. *aethereis, haec*] *aetherei fax est* Heins.

18. *sereno*] *terreno* vel *septeno* Heins.

22. *surgenti*] *surgente* ms. Thu. *surgenti resonat tuba* Opitius. *resonat silva alta canorem* Heins.

23. *decus*] *sol noctis lucisque deus* Wakefield. ad Lucret. III, 1059.

1026.

Anth. V. 14. In mss. Ovidio tribuitur.

1. *liquidis*] *tumidis* ms. Salm.

2. *Tethyos*] *renobans Thedidis* ms. Salm.

5. *pavidi tr. conatibus*] ms. Salm. *adludunt teneri tremulis cum matribus agni* Salm., vulgo. *adludunt blandi tremulis conatibus agni.* Wakefield. ad Lucret. I, 261.

1027.

Anth. V. 16.

5. *ceu*] *seu* vulgo, errore operarum.

1028.

Anth. V. 40. Wernsdorf. Poet. T. V. p. 627. In Operibus Bedae T. I. p. 517. Totum carmen ex Arateis Ciceronis petitum est. Haec observatio editores adhuc fugit.

1. *labens*] *lambens* ms. Meermanni Add. T. II. p. 696. Cicero in Arat. 575: *Queis comes est Aries, obscuro lumine labens.*

2. *inflexoque*] sic in Ciceronis Arat. 576. *inflexique* vulgo. *infelixque* ms. Meerm. *Proximat inde sequens proiecto corpore taurus.* Beda. *inflexusque* B. Add. T. II. p. 696.

3. *et gemini*] *sic gemini fulgent iactantes orbibus ignem* Beda.

4. *cancer*] ms. Meerm. nec aliter in Ciceronis Arateis 566. *cancri* vulgo.

5. *cedit*] ms. Meerm. et Cicero. *caedit* vulgo. *saevit* Schrader. *condit* B. Add. l. l. *serpit* Beda.

7. *cum lumine*] *collumine* Beda.

8. *ipsaque*] *ipsasque* Beda.

10. *ore fero*] Cicero. *cornifero* vulgo.

vadere pergit] Cicero. *vada repergit* vulgo. *lumine pergit* Beda. *sidere pergit* Heins.

11. *inde loci-orbe*] Cicero. *inde locum conlucet aquarius urbem* vulgo. *inde locum-orbem* ms. Meerm. *humidus at lato c. A. orbe* Beda. Wakefield. vero aut eam, quam edidi, lectionem probandam censet, aut mutandum *Humidus inde loci conlustrat Aquarius urna* — ad Lucret. V, 438.

12. *serpentes*] *exin squamigeri serpentes ludere pisces* Cicero. *squamiferi rectoque natant tunc ordine pisces* Beda. *Humidus urceolo conlucet Aquarius, orbem Exin flammiferum supremi cludere Pisces* B. Add. l. l. *Exin squamiferi, certantes ludere, Pisces* vel *Exin squamiferi pergunt ecfulgere Pisces.* Wakefield.

1029.

Anth. V. 42. *Alexandri vel Anaximandri Milesii ex eius sphaera, cuius Diogenes Laertius meminit.* inscribit Pithoeus.

3. *superni*] an *superne?*

7. *Phaethontius ardor*] i. e. Saturnus, qui Φαίνων a Graecis nominatur.

8. *brumali frigore sidus*] intelligitur Mars.

1030.

Anth. V. 43. In ms. Vossiano vindicari Prisciano docet Bondam. Var. Lect. p. 200. Totum carmen citat Columbanus in epistola sua ad Sethum II, 61. quem locum Burmannus T. II. p. 349. attulit. — *De compoto (computo?)* ms. Scalig.

6. *sunt florum*] Columbanus. *Tempora. sed florens* vulgo.

Accipiunt augmenta dies noctisque vicissim
tempora: sed florens retinet s. t. m.

Wakefield. ad Lucret. V, 680.

11. *volatile*] *volubile* B.

12. *ver*] hic versus citatur a Hieronymo Comm. in Ezechielem Cap. I. Oper. T. IV. p. 332.

13. *omnia*] hunc versum ex Columbano addidi.

1031.

Anth. V. 44. In Opp. Bedae T. II. p. 89.

1. *exurgens*] *exoriens* Beda.

3. *tum subit*] Scalig. ad Ausonium p. 546. *dum subit* vulgo, errore, puto, fortuito. [Corrige contextum] — *hinc subit* Beda.

4. *dum surgit Cancer*] *cum cancer surgit* Beda.

1032.

Anth. V. 45. In Ausonio legitur Tollii p. 546.

2. *quae*] ms. Petav. *quas* vulgo.

3. *Pollucis proles*] i. e. Saturnus, qui conficit cursum solarem annis 29, diebus 169.

4. *fulmina dispergens*] i. e. Iupiter. *flumina disp.* vulgo, errore librariorum. Iupiter cursum conficit annis 11, diebus 314.

duodenas] *duodenis lustrat aristis* ms. Petav. Scaliger.

5. *mensem pensare bilibri*] corruptum. *pensatque bilibri* B. Add. T. II. p. 697. At sic quoque corrupta est sententia. Mars orbem conficit uno anno et 322 diebus.

6. *Phaethontia flamma*] i. e. Sol. Supra ep. 1029, 7. *Phaethontius ardor* Saturni sidus significat.

8. *Cytherea*] Venus conficit orbem diebus 224. Versus corruptus. *Plus* deest in mss. Scal. Petav.

11. *Semonis divi*] Scaliger. i. e. Mercurii. — *sermonis domini* vulgo.

1033.

Anth. V. 64.

5. *horae*] numerus horarum anni est 8760.

1034.

Anth. V. 65.

1035.

Anth. V. 66. Mss. Salm. Voss. Thu. inscribunt *Laus quatuor temporum.*

2. *torrida*] *torpida* ms. Voss.

3. *redimitus*] *redimito* ms. Thu.

4. *alite tempus*] *alitempus* ms. Thu. Winkelmannus in Historia artium T. II. pag. 570. refert, in caelato opere quodam imaginem hiemis gestare duas anates, quia in hieme id genus avium venari solent; in aliis imaginibus porcus hiemis signum est. Conf. V. 73. de Februario mense: *quique paludicolam prendere gaudet avem.*

1036.

Anth. V. 67.

8. *Arcitenens hiemis*] haec duo vocabula principium hexametri efficiunt, sed reliqua desunt: *Capricorni sidere frigens* clausula est sequentis versus.

9. *udus A. urna*] B. *udum Aquarius arco.* vulgo.

1037.

Anth. V. 71. *Catamonosticon interposito distico de mensibus et anni signis.* ms. Pithoei. *Versus singulorum mensium* ms. Puteaneus. *Versus de numero dierum singulorum mensium.* ms. Meerm.

2. *vota – Februa*] piamina Februa incidunt in mensem Februarium.

3. *reducti*] Heins. *reduce* vulgo. *reduci* mss. Put. Leid. Voss. Meermann.

4. *lutea*] *lintea* mss. Petav. Voss.

5. *Maie*] mss. Petav. Leid. Scal. *Maiae* ms. Meerm. *Maia* vulgo.

duces] *dulcia* mss. Scal. Voss. Putean. *ducis* mss. Leid. Meerm.

exagona] i. e. apium examina, ἑξάγωνα. Idem vocabulum Varro de re rust. III, 16. usurpavit. Mellificatio apum Nonis Maii hic tribuitur.

7. *devertit*] Heins. *divertit* vulgo. *divertit lumina solis* Scaliger.

9. *fervet*] hoc distichon extat in mss. Scalig. Pithoei. vulgo deest.

12. *fundit at*] *funditat October vina Falerna lacus.* Heins. *Lacis* nove pro lacubus.

1038.

Anth. V. 72. *Tetrasticon autenticum de singulis mensibus.* mss. Putean. Leid. Voss. Meermann. *Mensibus e cunctis sequitur tetrasticon anni* ms. Scalig. Lambecius picturas quoque, quae ad haec epigrammata spectant, edidit.

4. *purpureos – proceres*] Calendae Ianuariae consulatus initium erant, ideoque per purpureos proceres intelliguntur consules.

1039.

Anth. V. 73.

1040.

Anth. V. 74.

4. *sinus lactis*] per sinum lactis indicatur vas quoddam dictum. Sic *sinus vini* dicitur.

1041.

... insignis est, quia nono die Aprilis ... sacrificabant. Sic Lambecius, ...

... In tabula Lambeciana ardens cereus ad ...

1042.

1043.

...] ut falx maturas Cereris etc. B.

1044.

1045.

... pocula vitro] livida pocula mss. Scriverius.

...] indicatur nomen Imp. Augusti.

...] Dianae sive Hecatae natalis celebrabantur Idibus Augusti.

1046.

... V. ...

...] turgentes Heins.

1047.

1048.

... tuis. E. ...

... vulgo.

... Thu. Leid.

... mss. Thu.

... mss. Thu. unde

10. *exspoliat-serta*] *expoliat-senta* ms. Thu. *exspoliat-senta* ms. Voss. Heins. (plündert die Blüthenhecken). An *exsinuat*, vel *exprimit serta?*

13. *gaudens*] *gaudet* ms. Thu.

16. *gillo*, *flabella*, *melo*] B. *gillo fabilla melo* ms. Salm. *gillo faula melo* ms. Scalig. *gelo*, *tabella*, *melo* Heins. In pictura conspicitur vas ansatum, tres melones et flabellum ex cauda pavonis confectum. *flabellum* ac *tabella* idem significant, sed *tabella* praeferendum, nisi primam syllabam longam in *flabella* consulto corripuit poeta. — *gello fabella melo* vulgo.

18. *botruis*] recte, si nominativus *botruus* erit: *botrus* si est, *botris* ex mss. Leid. Thu. Voss. recipiendum, ut B. quoque iubet in Add. T. II. p. 698., et Salmasius ad Solin. p. 536. iam edidit.

rete] *rure* ms. Thu.

21. *foecundo numine Vestae*] Scaliger. *foecundo nomine bestiae* vulgo.

22. *cum teretes sentit* etc.] ms. Salm. *cum terit et sentit pinguis oliva molas* vulgo.

24. *iungit*] *unguit* ms. Thu.

1051.

Anth. V. 85. Inter Ausonii carmina legitur pag. 557. In Opp. Bedae T. II. p. 82. *Singuli autem menses sua signa, in quibus solem recipiant, habent, Aprilis Arietis, Maius Tauri, Iunius Geminorum, Iulius Cancri, Augustus Leonis, September Virginis, October Librae, November Scorpionis, December Sagittarii, Ianuarius Capricorni, Februarius Aquarii, Martius Piscium, sicut quidam veterum etiam versibus explicavit heroicis* etc. Unde apparet, male vulgo inscribi *Bedae*.

2. *Sol distat*] *solidi stat sidus Aquarii.* ms. Meerm.

11. *Scorpion* etc.] Tollius. *Scorpius hibernum praeceps iubet ire Novembrem.* vulgo.

1052.

Anth. V. 86. *Versus de singulis mensibus.* ms. Meerm.

11. *sidera-intempesta*] signa ea, quae media nocte lucent.

12. *genialem hiemem*] eleganter, quia tunc Saturnalia agebantur, et genio valde indulgebant. B.

1053.

Anth. V. 87.

1054.

Anth. V. 88.

2. *feriam*] Sequiori aetate *feriae* appellantur singuli dies hebdomadis; hinc feria prima, feria secunda.

5. *Iupiter inde* etc.] sic legitur a Luca Gaurico in Calendario Ecclesiastico pag. 56. — *Iupiter ecce sequens quint. sibi iure*

dicavit ms. Meermanni. *Iupiter ipse sequens quintam sibi habere dicavit.* vulgo.

1055.

Anth. V. 113.

2. *omnia*] suppleo *omnia vultu.*

5. *te norunt*] B. *tenēr om͂a patrem* ms.

6. *tēp̄tant*] *te penetrant nubes* B.

8. *inmenso*] B. *in m͂sa* ms.

9. *si*] ms. *in* Heins. vulgo.

16. *fretum et disc.*] B. *ferete discurrere* ms.

17. *sortis*] B. *sortem* ms.

20. *sinat otia remis*] non liquet.

27. *permiseris, ipse*] B. *promiseris esse* ms.

28. *pleno*] an *plenas?*

1056.

Anth. V. 114. Wernsdorf. Poet. lat. T. IV. p. 493.

2. *hos circum gemini-iugantur*] Wernsdorf. ex codice Io. Griali in Isidori Originibus lib. XIII. c. 11. editis ab Iacobo du Breul. — *hi quoque sex gemini dextra laevaque recurrunt* vulgo, quod intelligi nequit. *iugantur* est in mss. Leid. Suecico.

6. *huic dexter gelido*] Wernsdorf. ex codice Griali. *Circius hinc dextro gelidus circumtonat antro* vulgo.

7. *Thrasciam Graii*] ms. Griali. *Thraseian Graeci* vulgo.

9. *hic*] Wernsd. ex ms. Griali. *hinc* vulgo.

11. *apelioten*] *Aphelioten* vulgo.

22. *solis ab* etc.] Io. Grialus. Wernsd. *Abscessum Solis Zephyri tuba florea servat* vulgo.

23. *ex Itala* etc.] Io. Grialus. Wernsd. *Italia veniens cui dictum est voce Favoni.* vulgo.

24. *huic*] ms. Griali. Wernsd. *hinc* vulgo.

Libs] ms. Leid. Wernsd. *Lips* vulgo.

25. *hic*] ms. Griali. Wernsd. *hinc* vulgo.

27. *Argesten quem* etc.] Wernsd. *Argesten Graii vocitant cognomine . . .* vulgo. *Argesten Graio vocitarunt ore Camenae* Io. Grialus. *Argestem quem Graii vocant ore Camena.* Isidori editio.

1057.

Anth. V. 117. Quatuor versus priores aenigma esse videntur: ceteri non cohaerent, nec idem epigramma componunt.

4. *tribus*] *thronus* B.

6. *nix*] Pithoeus. *nox* vulgo.

16. *gaza*] prima brevi.

1058.

Anth. V. 118. Meermannus Hugoni Metello, qui a. 1117. diem obiit, vindicat, quia in codice suo cum sequenti epigrammate subiicitur Hugonis Metelli epistolis, neque dissimile est illis, quae ipsis epistolis inseruntur. Conf. De Hugone Metello Fabric. Bibl. Med. et Inf. Aet. T. III. p. 296. Hoc epigramma versibus constat, qui more recentiorum in ultimo quoque vocabulo alliterationem faciunt.

1059.

Anth. V. 119. Hugoni Metello vindicat Meermannus, ut in praecedenti dixi.

2. *vocetur avis*] *vocentur aves* Heins.

6. *consulo*] ms. Meermanni. *consule* vulgo.

1060.

Anth. V. 120.

1061.

Anth. V. 121. Hoc epigramma in codice Meermanni rhythmis Gibuini, Lingonensis episcopi, subiectum est.

4. *totque videt*] Meermannus. *totque niger* vulgo.

10. *nunc removebo*] aut *non removebo* aut *non reticebo* B.

1062.

Anth. V. 122.

1063.

Anth. V. 123. Meermannus hoc epigramma Hugoni Metello vindicat.

1064.

Anth. V. 124.

1. *bis sex*] pro *bis sex* legendum *mixtas* vel *iunctim* vel *plures* coniicit Meermannus.

3. *bis cresceret*] *succresceret* Meerm.

1065.

Anth. V. 125.

1066.

Anth. V. 126. Tria sequentia in ms. S. Germani subscripta legebantur Rhemnio Fannio De Ponderibus.

1. *as ex*] *as vel* ms. Thu. Conf. Rhemnii vel Prisciani carmen de Ponderibus v. 41 sqq.

4. *hinc*] *hic q. h. sc. ipsant acta* ms. Thu.

5. *bessem*] *bissem* ms. Thu. *bisse* vulgo.

6. *septuncem*] ms. Thu. *septus semis* vulgo.
7. *medium*] *mediam* ms. Thu.
8. *nec*] *haec v. u. m. sescuncia* ms. Thu.

1067.

Anth. V. 127.
5. *terna duc seseclae*] *terna duae sesclae pars est* ms. Thu.

1068.

Anth. V. 128.
1. *calcis*] *caliis* ms. Thu.
2. *scripuli*] *scripuli est obolus* ms. Thu.
5. *hic*] *hic figni sextam p. s. vocare* ms. Thu.

1069.

Anth. V. 129. Hugoni Metello tribuit Meermannus.

1070.

Anth. V. 130.
1. *gillo*] graece ἡ βαύκαλις, vasis genus fictile, quod inserviebat refrigerando vino. Conf. Iacobs. in Animadv. ad Anthol. gr. V. 2. P. III. p. 45.
2. *opem*] *spem* ms. Thu.
3. *curamus*] mss. Salm. Thu. *curavit* vulgo.
4. *imbrigenis*] ms. Salm. Iacobs. *indigenis* vulgo, ms. Thu.

1071.

Anth. V. 131. Totum distichon in epigrammate recentioris aevi apud Muratorium T. IV. p. 1969, 1. legitur.

1072.

Anth. V. 134. Dubiae auctoritatis: nam Gruterus inter supposita retulit.
6. *saltem*] *tandem* B.

1073.

Anth. V. 135.

1074.

Anth. V. 136.
3. *libans*], B. *bibens* vulgo.
4. *Actaeonis*] longa penultima.
16. *fruaris - tuus*] In utroque vocabulo vitium inest: in *fruaris* enim media corripitur. In *tuus* alterum vitium, quia prius hemistichium versus praecedentis postulat *quod meus hortus habet*, et sic mutandum duco, nisi cum Burmanno *Si fruar id laetus, quod tuus hortus habet*

praeferas, ita ut poeta carmen Priapeium 5 imitatus sit, in quo legimus

Quod meus hortus habet, sumas inpune licebit:
si dederis nobis, quod tuus hortus habet.

Sed quamvis sit speciosa haec imitatio, veram tamen eam esse nego; hoc enim carmen obscenitate vacare puto.

1075.

Anth. V. 137.

1. *Phoebus me*] *me foebus* ms. Thu.

2. *cum*] *dum* ms. Thu.

1076.

Anth. V. 140. Editur vulgo in antiquis Catalectorum Virgilii editionibus.

1077.

Edidit Duebnerus in Iahnii Annall. a. 1828. Ex Hesiodi Operibus ad verbum expressum inde a v. 289—294.

1078.

Anth. V. 142. In Opp. Bedae T. I. p. 517. In Ausonio p. 533. Hesiodi fragmentum in Plutarchi libro de defectu Oraculorum c. 11. legitur. T. IX. p. 315. edit. Hutten.

1. *exit in annos*] Construe: *In annos ter binos deciesque novem super exit vita (eorum), quos iusta vita virorum senescentum implet.*

4. *at*] *et* ap. Ausonium.

8. *Nymphae*] in hoc versu desinunt verba Hesiodi, quae a Plutarcho citantur. Apud Bedam quoque ceteri desunt: sed in ms. Vossiano totum deinceps legitur.

11. *Stilbon*] i. e. stella Mercurii. — *Stilpon* vulgo. *stilo involvat* ms. Voss.

Phaenon] i. e. Saturnus. *Phaethon* (bisyllabum) Vinetus et ms. Voss.

12. *quos*] i. e. circuitus. — *quot* B. *quod* ms. Voss.

Pyrois] i. e. stella Martis.

14. *qui Phoeben*] i. e. quales labores Lunam maneant. Virg. Aen. I. 741. *Hic canit errantem Lunam Solisque labores.* — *qui Phoebi* vulgo corrupte.

1079.

Anth V. 143. Hoc carmen non minus fortasse ad aevum Getae Imperatoris pertinet quam Albi Ovidii Iuventini elegia de Philomela. Argumentum enim ac dictio plane similia sunt.

1. *discat*] *dicat* B.

5. *versifico*] *nidificans* B.

6. *longoque ciconia*] B. adiecit *que*.

8. *parrus*] Bondam. Var. Lect. p. 246. B. *parvis* vulgo.

9. *cantus*] *cantant* B.

11. *iugilat*] B. *iugulat* vulgo.

13. *nauculus*] *nam cuculus cantans socios iter ire per urget*. B. *nam cuculus cantus solitos iterare perurget*. Io. Sterke in Act. Societ. Traiectinae T. I. p. 170. vere, modo *nam* mutetur in *tum* vel *ac* vel *iam*. Huc addendum putavi vocabularium de vocibus animalium, quod in libro Andhelmi de re grammatica et metrica p. 569. legitur.

Apes ambizant vel bombizant
Aquilae clangunt
Anseres crinciunt vel trinsiunt
Aves minnuriunt vel vernant vel vernicant
Accipitres pipant vel pipilant (*plipiant* ms.)
Anates teretissant
Arietes trissitant vel blaterant
Asini oncant vel rudiunt
Apri frendunt
Arma crepant
Aes tinnit
Amphora profusa bilibit
Boves mugiunt vel reboant
Cornices butant
Cicni desistant
Cicadae fretinniunt
Ciconiae gratulant vel glottorant vel critalant
Corvi crocitant vel croccant
Caprae mucciunt
Canes baubantur vel latrant vel ganniunt
Catuli glattilant
Cervi rugiunt
Citharae sonant
Canis venatica cusnitit
Elephanti barriunt vel stridunt
Equi hinniunt
Ferae mussitant
Grues gruddant vel gruunt vel grugulant
Gallinae cacillant
Galli cantant vel cucurriunt
Galvae fringilliunt
Graculi griciunt
Hirundines trutissant vel trissant
Hyenae hirriunt
Haedi balant vel bebant

Iuppiter tonat ut fabulae fingunt
Infantes vagiunt
Leones fremunt
Lynces hircant
Lepores vagitant
Lupi ululant
Litora murmurant
Milvi lugiunt vel vigilant (iugilant?) vel luriunt
Meruli zinzitant
Mustelae dindrant
Mures mintriunt vel muniunt
Noctuae cucubiunt
Olores drensitant
Oves balant
Onagri vagillant
Palumbes raucitant
Passeres titiant
Parri tinnipant
Pavi paululant
Perdices cacabant
Pulli et pueri pipant
Pantherae chauriunt
Pardi feliunt
Porcelli grunniunt
Porci grundiunt
Ranae coaxant
Sturni parsitant
Sorices denticant
Serpentes sibillant
Silvae strepunt
Turdi soccitant vel faccilant
Tigrides raccant
Tubae clangiunt
Tauri mugiunt
Vultures pionpant
Venti flant vel tremunt vel sibilant
Ursi urgant vel saeviunt
Vulpes eiulant
Verres quiritant
Homines loquuntur
Rustici iubilant.

1080.

Anth. V. 144. *De elefanto* ms. Salm.

1. *proboscide saevus*] *elephans provoscide saehus* ms. Salm. *mon-*

strum princeps elefans proboscide saevum ms. Thuan. *promuscidis armis* vulgo.

2. *horret mole*] *horret nigra mole* ms. Thu. *orret nigram mod lente micat niveneo.* ms. Salm.

3. *fugienda*] *fugienda malo cum velua* ms. Salm.

4. *ex certis*] Burmannus maior coniecit *expertis*.

feri] mss. Salm. Thu. Voss. *ferae* vulgo.

7. *sceptrum*] *exceptrum* ms. Thu.

tablistis] tablista is, qui tabulis ludit. Du Cange Glossarium s. v.

9. *sortis*] *mortis* ms. Thu.

1081.

Anth. V. 145.

1. *horrida*] *orrida cornudo procedit velua* ms. Salm.

2. *oris*] prima brevi. *heris* vel *agris* B. *horis* ms. Salm.

3. *sed*] *sed licet in manibus pugnes provoscide varris* ms. Salm.

5. *edomitus*] *et domitus* ms. Divion. mox *residenti* ms. Salm.

7. *rabiem*] *ravie* mss. Salm. Div.

1082.

Anth. V. 146. Ex Claudiani codice Ambrosiano. Inter Claudiani epigrammata legitur n. 38.

1. *utraque*] *ut quae* ms. Div.

2. *vorat*] *necat* ms. Div.

1083.

Anth. V. 147. *De aquila, quae in mensa de sardonyche lapide* inscribit Almeloveen. Inter epigrammata Claudiani legitur n. 39.

1084.

Anth. V. 148. Petronio tribuit Scriverius.

2. *redit*] *rubet* B.

1085.

Anth. V. 151. Recens esse puto.

1086.

Anth. V. 152.

2. *canora*] Wakefield. ad Lucret. II. 28. *canore* vulgo, errore, opinor, operarum.

6. *tecta*] *templa* Wakef. *Romula* i. e. Romulea sive Romana.

1087.

Anth. V. 153. *De ansere qui intra se capit cupia prandii.* ms. Salm. *De ansere farto* ms. Div.

4. *truditur e medio*] mss. Salm. Leid. *truditur e nido* Heins. *funditur e mediis* Gronov. *funditur e medio* ms. Tollii.

